fallentia 3. *G. de pactis* & refert *Baldum* idem ſentientem *addit. ad Archidiaconum* 16. *qu.* 7. *in fine ſum.* quas additiones nullibi potui invenire. Sed idem *Baldus c. cum veniſſet nu.* 3. *de reſtitutione ſpoliat.* ait, ſuppoſito veram eſſe rationem illius textus, quod poſſit dari beneficium viventis collegio, eo quod in ipſo non detur votum captandæ mortis, poſſe pactum iniri cum illo de futura ſucceſſione, & fortiori ratione cum Eccleſia, in qua minor hujus ſuſpicio eſt. At ſuppoſitum illud, nempè, eſſe veram rationem, quod non detur votum captandæ mortis, ſatis probavimus initio hujus numeri, ubi pondero *Baldum* ſenſiſſe totam rationem prohibitionis pacti futuræ hæreditatis eſſe, ne detur votum captandæ mortis, & ea ceſſante ceſſare quoque prohibitionem: Ad idem eſt *Fulgoſ. ea l. fin. n.* 3. *verſic.* 2. *ratione*, ubi ait, fortè non male dicturum qui aſſereret poſſe iniri pactum de hæreditate viventis, ubi non induceretur votum captandæ mortis. Ad idem eſt *Pariſius c. in præſentia, n.* 26. *ad finem*, *de probationibus*, qui cum *Alex. conſilio* 29. *nu.* 8. & 9. *vol.* 3. multa adducente ad hoc comprobandum, ait, ſi in aliquo actu faciendo debet adeſſe certa forma, illam non requiri, quando fit actus cum perſona, in qua ceſſat ſuſpicio, quæ illius formæ inducendæ cauſa fuit: atque inde deducit hoc non conſiderari in donatione facta Eccleſiæ, utpotè in qua ceſſat ſuſpicio captandæ mortis. Et tandem *Laderchius conſilio* 133. *n.* 6. & 7. probat ingredientem religionem poſſe renunciare omnibus bonis, etiam exprimendo hæreditates futuras, in favorem cujuſcumque.

56 Major autem difficultas eſt, quomodo votum captandæ mortis non detur, quando prædicta renunciatio hæreditatis fit in Societate JESU in favorem alicujus privati pauperis, ſive conſanguinei, ſive extranei, prout fieri poteſt juxta conſtitutiones Societatis *cap. præced. num.* 31. Sed id quidem probat ratio prima, quam *num.* 58. afferemus: præterea, quia eodem *num.* 58. probabimus aliis rationibus ſuſtineri quoque in Societate JESU eam renunciationem futuræ hæreditatis, ſive in favorem ejuſdem Societatis, ſeu alius communitatis, ſive in favorem privati pauperis.

57 Inſuper probatur tertium fundamentum, nempè alias rationes, quæ traduntur a Doctoribus, ut non valeat renunciatio futuræ hæreditatis abſque domini conſenſu non obſtare valori hujus renunciationis factæ in Societate JESU juxta ejus conſtitutiones. Nam primò non obſtat ratio, quæ traditur præmaturam, & turpem eſſe hæreditatis perſonæ viventis, inſciæque pactionem, & ex inordinata cupiditate conſurgere; quia finis, ob quem in Societate JESU ea renunciatio fit, facit ceſſare hujus turpitudinis, & anxiæ cupiditatis ſuſpicionem, & ſatis, ſuperque renunciationem hanc cohoneſtat, cum in eiſdem conſtitutionibus in examine, *cap.* 4. §. 2. & 3. *part. cap.* 1. §. 7. ea hujus renunciationis redditur ratio; ut renunciantes amplectantur conſilium Chriſti conſulentis omnia pauperibus dari a profitentibus vitam perfectam, & ut maneant perfectè, & integrè pauperes, prout perfectio ſtatus religioſi petit. Secundò non obſtat ratio alia, quæ ejus deciſionis traditur, nempè impediri libertatem teſtandi, quia quamvis ea ratio vera eſſet, poteſt utique ea poteſtas impediri favore piæ cauſæ: ob eam enim rationem ſuſtinetur donatio omnium bonorum præſentium, & futurorum favore piæ cauſæ, etſi inde impediatur teſtandi poteſtas, ut dicemus *num.* 59. At renunciatio in Societate JESU fit ſemper favore piæ cauſæ, ut dixi *num.* 2. & validam eſſe donationem omnium bonorum præſentium, & futurorum factam ab ingrediente religionem, tenet *Laderchius conſ.* 473. *num.* 6. *lib.* 1. & dicit, ſuſpendendo effectum donationis in tempus profeſſionis, quando amplius alterari nequit, quia tunc ceſſat ratio; quare clarè non dicit contrarium, quando ut ex tunc ſit irrevocabilis. Neque obſtat etiam tertia ratio, quæ ſolet tradi, nempè, hæreditatem pacto non dari, quia eſto hæc eſſet vera ratio; fallit favore piæ cauſæ, ut probavimus *num.* 55. At in Societate fit favore cauſæ piæ. Quod ſi dicas id pactum favore piæ cauſæ initum eſſe revocabile, ut dixi eodem *num.* 55. at ea renunciatio in Societate eſt irrevocabilis, ut probavi *num.* 3. & continet totam hæreditatem, & probavi *num.* 2. atque ita videtur eſſe contra *l. hæreditas*, *C. de pactis conventis*, nec favore cauſæ piæ juvari poſſe. Reſpondetur, etſi ex vi hujus favore cauſæ piæ ea renunciatio revocabilis maneret ad nutum renunciantis, at aliunde irrevocabilis eſt, nempe ex vi conſtitutionis a Sede Apoſtolica approbatæ, ut dixi *num.* 3. Præterea, cum renunciatio illa fiat a religioſo Societatis JESU, & ſic exempto a juriſdictione ſæculari, non metienda eſt juxta legis civilis præſcriptum, ſed juxta jus canonicum, ut de teſtamento novitii diximus ſupra, quod nullibi hæreditatem pacto non dari poſſe præſcribit; nec jus civile poteſt aliquid præſcribere in præjudicium hujus renunciationis, ut *num.* 55. probavimus, eo vel maximè quod conſtitutiones Societatis JESU præſcribentes hujuſmodi renunciationem irrevocabilem, approbatæ ſint a Sede Apoſtolica, & ſint circa religioſos ab omni juriſdictione ſæculari exemptos, ac immediatè Sedi Apoſtolicæ ſubjectos. Et tandem melius reſpondetur, eam renunciationem non eſſe dare hæreditatem, cum is, in cujus favorem renunciatur, non verè inſtituatur hæres; in eum enim non transferuntur bona poſtea acquirenda: ſi enim poſtea legetur aliquid religioſo Societatis JESU, non acquiret is, in quem renunciavit; nec tenetur facere inventarium tamquam hæres, nec eo omiſſo tenetur ad debita renunciantis ultra bonorum vires; ac proinde hoc non eſt pacto dari hæreditatem.

58 Tandem ſupereſt probare ultimum fundamentum, nempe aliis quoque rationibus ſuſtineri renunciationem hanc in Societate JESU, nec in ea contraveniri diſpoſitioni legis civilis. Primò, quia, ut probavi *num.* 41. & 43. quando hæreditas viventis non venit principaliter, ſed acceſſoriè, & ſub univerſitate bonorum, atque in quamdam conſequentiam neceſſariam præcedentis contractus liciti, valet; nec eſt contra *d. l. fin.* nec præſumitur votum captandæ mortis, nec anxietas præmatura, & turpis hæreditatis perſonæ viventis: at in Societate JESU, dum renunciatur omnibus bonis, juribus, & actionibus principaliter agitur de omnium bonorum abdicatione, quo religioſus maneat perfectè pauper abſque ſpe ulla acquirendi, ſub qua ut pars quædam comprehenditur jus ad hæreditatem futuram, & venit, ut ſequela neceſſaria ad ingreſſum religionis obligantis ad dictam renunciationem omnium iurium, & hæreditatum, ut dictum eſt, eo quod his juribus retentis non detur perfecta paupertas, quales poſcunt conſtitutiones. Ergo ea renunciatio non eſt contra jus civile, ſed eo attento ſuſtinenda eſt. Secundò. quia, non obſtante lege civili diſponente pactum abſque domini conſenſu irritum eſſe, poteſt ex licentia Principis juſta cauſa ducti id pactum licitè, & validè iniri, ut probavimus *num.* 38. at Pontifices approbarunt conſtitutiones Societatis JESU præcipientes hujuſmodi renunciationem, ſive in favorem communitatis piæ, ſive privati pauperis, & ducti juſtiſſima cauſa, nempè, ut religioſus maneret perfectè pauper, abdicata omni bonorum ſpe; & cum ſit circa perſonam religioſam, non eſt civilis juris diſponere circa illam, ſed eccleſiaſtici. Ergo valet talis renunciatio non obſtante lege civili. Sed dices conſtitutiones non præſcribere, ut ea renunciatio fiat abſque conſenſu eorum, quibus ſuccedendum eſt; atque ita, cum ſervari poſſit conſtitutio eo conſenſu petito, non adverſabitur illi, nec Pontificiæ approbationi, petere conſenſum, quare is neceſſariò petendus erit, juxta præſcriptum legis civilis. Reſpondetur, immo adverſari conſtitutioni, quia conſtitutio petit tamquam quid neceſſarium; ut renunciatio illa fiat in favorem pauperum, ut dixi jam, & ut fiat irrevocabiliter: at ſi exigeretur conſenſus eorum, quibus ſuccedendum eſt, ſæpiſſimè prius obtineri non poſſet, quia nollent in pauperes, ſed in favorem ipſorum, aut aliorum filiorum renunciationem fieri, quantumvis divites ſint, aut ſaltem ex eorum voluntate penderet obſervantia conſtitutionis; & numquam poſterius obtineretur, quia cum is conſenſus revocabilis ſit uſque ad mortem, & valor renunciationis ex ejus perſeverantia pendeat, ut dixi *num.* 14. maneret caſſa renunciatio eo conſenſu revocato, ac proinde numquam eſſet irrevocabilis. Inſuper, quia ratio prima hic adducta probat eam renunciationem non indigere ad ſui firmitatem conſenſu ejus, cujus ſucceſſioni renunciatur. Sed iterum objicies manere quidem irrevocabilem ex parte renunciantis, non ex vi legis civilis, ſed ex vi conſtitutionis auferentis facultatem revocandi: at revocato conſenſu maneret caſſa, & revocata ex vi legis civilis, ac proinde ſuccedent hæredes, qui ſucceſſuri eſſent ea renunciatione non facta, quia conſtitutio Societatis JESU tantum petit id, quod ad perfectam renunciantis religioſi paupertatem deſideratur; cui fini ſatisfit, ſi ex parte ipſius maneat firma, & irrevocabilis renunciatio illa, nec voluit proſpicere pauperibus, in quorum favorem renunciatio facta eſt. Sed reſpondetur conſtitutionem a Sede Apoſtolica approbatam utriſque proſpexiſſe: nam non tantum petit, ut religioſus abdicet a ſe ſpem bonorum, ſed ut ea cedant in pauperum uſus juxta conſilium evangelicum; quod quidem obtineri non poſſet, ſi revocabilis eſſet ex parte hæredum hæc facta in pauperes renunciatio. Tertiò, quia in dubiis opinionibus ea præferenda eſt, quæ loco pio, & religioni favet, ut aliis citatis, & nemine contradicente tradit *Tiraquel. de privilegiis piæ cauſæ*, *privileg.* 148. *num. unico*, & conſtat ex *l. ſunt perſonæ*, *ff. de religioſis*, & *ſumptibus funerum*. Tandem hoc amplius conſtabit ex ſolutione argumentorum *num. ſequenti* tradenda, &, ut retuli *num.* 59. *in fine*, *Laderchius* probat hanc renunciationem valere in favorem cujuſcumque.

59 Ad argumenta poſita *num.* 53. reſpondetur. Ad primum dico, non defendi valorem ejus renunciationis favore cauſæ piæ, ſed quod ceſſet ratio prohibitionis, & ob alias rationes, quas tradidi *num.* 54. & *ſequentibus*.

60 Ad ſecundum reſpondetur, negandam eſſe eam doctrinam, ut ſatis probatum eſt. Ad tertium, negandum eſt eſſe aliam rationem illius prohibitionis præter votum captandæ mortis; nec illo ſecluſo turpe eſt de re aliena abſque domini conſenſu contrahere, ut ſatis probatum eſt *num.* 54. Nec legitima ratio, cur hæreditatis filiorum renunciatio non valeat in parentibus, nec cur non valeat in extraneis, eſt, quam tradunt Doctores in eo argumento citati, ſed in utriuſque eſt periculum voti captandi mortem. Et quidem in parentibus id pactum ineuntibus eſt præſumptio ejuſmodi voti, ut optimè tradunt *Alciatus ea l. fin. num.* 27. *C. de pactis*, & *ibi Purpurat. nu.* 23. *Bolognet. nu.* 71. Nam quamvis ſecundum communem naturæ curſum id de parentibus minimè præſumatur, ut probant jura contraria; at ſecus eſt quando parentes per extrinſeca demonſtrant ſe à communi naturæ curſu recedere, pactum ineuntes, quo ſe mortem filiorum optare indicant: atque ita paterni amoris præſumptio improbitate hujus pacti confutatur. Et in extraneis quoque ſic paciſcentibus præſumptio eſt ejuſdem voti, quia ut optimè conſideravit *Alciatus ibi num.* 30. niſi ſperaſſent fore, ut inſtituerentur hæredes ab eo, de cujus hæreditate agunt, id pactum non iniretur, & ſic ſubeſt periculum captandæ mortis ejus, à quo inſtituti fuerint. Ad primam confirmationem, jam ſatis *num.* 54. refutavimus alias eſſe rationes non incluſas in voto captandæ mortis, & ſatis probavimus *num.* 57. eſto veræ eſſent hæ rationes, illa non obſtare huic renunciationi. Ad ſecundam confirmationem dic, aliud eſſe ceſſare rationem legis in aliquo caſu; aliud verò rationem legis non extendere ad illum caſum: nam in priori eventu lex ex ſe, & ex ſua generalitate comprehendit eum caſum, in eoque locum habuit, aliàs non diceretur ceſſare rationem legis, vel legem, cùm nec lex, nec ratio in eo caſu locum habuerint: & quod numquam fuit, ceſſare nequit. In poſteriori verò eventu numquam ratio legis amplexa eſt eum caſum, & per conſequens nec lex ipſa; & ſic quamvis, ubi ratio comprehendit aliquem caſum, non ſufficiat ceſſare rationem in particulari, ut ceſſet lex, verum quando à principio ratio legis non ſe extendit ad eum caſum, dicendum eſt numquam legem habuiſſe locum in eo, ut latius explicui, & probavi *lib.* 2. *de matrim. diſput.* 37. *num.* 3. Non ergo defendimus valorem hujus renunciationis, quaſi illa comprehenſa ſit ſub ratione *l. fin. C. de pactis*, eam renunciationem prohibentis; eaque ratio ceſſavit: ſed quia ratio illius legis nempè, ne detur votum captandæ mortis, numquam comprehendit hunc caſum, ut probavi *num.* 54. Ad quartum ſatis conſtat ex dictis *num.* 10. ubi probavimus eam ſpem ſolùm jure reprobari, quando ex ejus diſpoſitione datur votum captandæ mortis, quale in hac renunciatione non dari probavi *num.* 54. At quintum ſatis eſt reſponſum *num.* 57. Ad ultimum reſpondeo primò, id procedere quando fit in religione cauſa perfectæ paupertatis obſervandæ: tunc enim jure optimo tollitur libertas teſtandi, quæ eſt cauſa, ne talis donatio ſubſiſtat. Vel ſecundò reſpondeo, multò veriorem eſſe ſententiam aſſerentem donationem omnium bonorum præſentium, & futurorum factam favore piæ cauſæ, validam eſſe, ſicut fit in Societate ea renunciatio, ut diximus. Probatur ex *l. jubemus nulli*, §. 1. *C. de ſacroſanct. Eccleſ.* ubi donatio totius patrimonii facta Eccleſiæ, pronunciatur valida. At eodem privilegio Eccleſiæ relicta ad cauſas pias gaudent, ut probavimus *num.* 51. & concinit *cap. final. de ſucceſſor. ab inteſtato*. Præterea, quia ut eodem *num.* 51. probavimus jus civile non poteſt præjudicium aliquod donationibus ad cauſas pias afferre. Et ideo hanc partem ſuſtinent *Abbas cap. final. num.* 2. *de ſucceſſoribus ab inteſtato*, & *c. nulla*, *num.* 11. *de conceſſione præbendæ*, & *conſil.* 102. *num.* 2. *vol.* 2. *Bartol. l. final. in* 1. *lect. numer.* 13. *C. de pactis*, *Curtius ſenior ibi*, *num.* 24. *Decius num.* 31. & *ibi Jaſon num.* 34. *Baldus authent. ſi qua mulier*, *num.* 39. *C. de ſacroſanct. Eccleſ.* & *c. in præſentia*, *num.* 36. *in fin. de probationibus*, *ubi Abbas nu.* 2. *notab.* 5. *Decius nova editione*, *num.* 29. *Pariſ. a num.* 21. *uſque ad* 26. *Felin. num.* 6. & latiſſimè *Berous à num.* 84. *uſque ad* 87. *Ferretus num.* 16. & *nu.* 36. *Jaſon l. ſtipulatio hoc modo concepta*, *num.* 10. *ff. de verb. obligat.* *Tiraquel. de privilegiis piæ cauſæ privileg.* 100. *num. final.* *Guillelmus Benedict. c. Raynutius verb. duas habens filias*, *num.* 206. *de teſtament.* *Natta cap. quamvis pactum* 2. *p. num.* 60. habetur *tom.* 6. *tract. p.* 2. *Navarr. comment.* 1. *num.* 32. *coroll.* 3. *de regular.* *Gama deciſ.* 185. *num.* 2. *Joannes Lupus l.* 69. *Tauri*, *num.* 9. & *ibi Antonius Gomez num. ultimo*, *Covar. rub. de teſtament.* 2. *p. num.* 5. *Duenas reg.* 219. *limitat.* 1. *Julius Clarus lib.* 4. *receptarum* §. *donatio q.* 20. *num.* 3. *Gutier. de juramento confirmatorio* 1. *part. cap.* 11. *n.* 7. *Matienzo lib.* 5. *recopilat. tit.* 10. *l.* 8. *gloſſ. unica*, *num.* 9. *Azebedo ea l.* 8. *num.* 6. *Villalobos in ſuis communibus opinionibus*, *litera D. verb. Donatio*, *num.* 167. *Spino ſpeculo teſtament. gloſſa* 12. *principali*, *num.* 45. *Molina tomo* 2. *de juſtitia diſp.* 280. *col.* 3. *verſ. noſtram*, *Rebellus de juſtitia*, *part.* 2. *lib.* 1. *q.* 9. *nu.* 2. *Leonard. lib.* 2. *de juſtitia c.* 18. *dub.* 13. *nu.* 95. *Manuel quæſt. regular. tom.* 2. *qu.* 47. *art.* 2. & multi alii, quos hi referunt. Quod tamen jure optimo limitant *Abbas conſ.* 48. *num.* 2. *vol.* 2. *Tiraq.* & *Manuel* proximè allegati, ut intelligatur quando donationis effectus principaliter dirigatur in piam cauſam, ut quia donatio fit Eccleſiæ, vel piæ cauſæ; ſecus ſi principalis effectus dirigatur in privatum, per quamdam tamen conſequentiam cedat in cauſæ piæ commodum, ut ſi donatio omnium bonorum fiat alicui cum eo onere, teneatur eleemoſynas elargiri.

CAPUT III.

De facultate novitii, aut volentis ingredi religionem, ad diſponendum per teſtamentum de ſuis bonis, & de firmitate ejus teſtamenti ſequuta profeſſione, & quis ei ab inteſtato morienti ſuccedat; & hæc attento jure antiquiori ante Tridentinum.

SUMMARIUM.

Quot quæſtiones ſint diſputandæ, & ibi remiſſive, an aliquid ſit immutatum per Tridentinum? nu. 2.
An novitiis integrum ſit teſtari abſque ſuperioris licentia? refertur quadam ſententia, nu. 2.
Sententia auctoris, nu. 3.
An id ſit verum de novitiis ordinis Minorum, & teneantur bona ſua in pauperes diſtribuere? nu. 4.
Quid de novitiis Societatis JESU? *nu.* 5.
An ſi hi teſtamentum fecerunt ante ingreſſum, teneantur jubente ſuperiori illud revocare? nu. 6.
An teneatur novitius teſtans relinquere legitimam aſcendentibus, & deſcendentibus, & ibi remiſſivè, an poſſit teſtari de uſufructu adventitiorum? num. 7.
An teneatur aliquid relinquere monaſterio? nu. 8.
An novitius hic poſſit teſtari de ſpe, quam habet ſuccedendi parentibus vivis; & poſtea non ſuccedat? nu. 9.
An poſſit novitius majoratum inſtituere ſive teſtamento, ſive contractu revocabili? nu. 10.
An ante profeſſionem acquirantur bona monaſterio, revocabiliter tamen? nu. 11.
An novitius in religione capaci ſuccedendi poſſit teſtari de uſufructu, vel annuo legato, ſibi relictis; nu. 12.
An legatum factum à novitio, revocetur eo ipſo quod religione egreditur, vel tempore novitiatus moritur; nu. 13.
Quid de inſtitutione hæredis? nu. 14.
An religioſis interdictum ſit inducere novitios ad relinquendum aliquid monaſterio? nu. 15.

1 SUperioribus capitibus actum eſt de facultate novitiorum, aut volentium ingredi religionem, diſponendi inter vivos, attento jure antiquiori ante Tridentinum. In hoc agendum eſt de facultate diſponendi in ultima voluntate, attento eodem jure antiquo: nam utrùm aliquid ſit immutatum per Tridentinum, dicemus infrà. Eſt igitur diſputanda quintuplex quæſtio. Prima eſt de poteſtate teſtandi, quam habent novitii, vel volentes ingredi religionem. Secunda de ſolemnitatibus petitis in eo teſtamento. Tertia. An id teſtamentum revocetur profeſſione? Quarta. A quo tempore incipiat id teſtamentum vim habere, an à tempore profeſſionis, an ſolùm à die mortis naturalis? Ultima. Si novitius obeat nullo teſtamento, aut renunciatione factis, quis in ejus bona ſuccedat?

2 Quæſtio prima. An novitius integrum ſit de ſuis bonis teſtari, nulla ad id petita ſuperioris licentia? *Archid. c. nunc autem num. unic. ad finem* 19. *qu.* 3. & *Suarez alleg.* 20. *nu.* 29. affirmant, adeò requiri ſuperioris licentiam ut teſtamentum novitii abſque illa confectum ſit futurum irritum, ſi poſtea profeſſionem emittat, perinde ac ſi tempore teſtamenti facti profeſſus fuiſſet. Et poteſt probari ex *cap. quia ingredientibus* 19. *q.* 3. & *authen. ingreſſi C. de ſacroſan. Eccleſ.* ubi deciditur, ingredientibus monaſterium nullam eſſe teſtandi facultatem.

3 Sed abſque dubio dicendum eſt, integrum eſſe novitio teſtari abſque ulla ſuperioris licentia, ut conſtat ex *auth. nunc autem C. de Epiſcop.* & *clericis*, & *cap. ſi qua mulier* 19. *q.* 3. Item, quia novitius ſimpliciter eſt adhuc ſui juris cum libera exeundi poteſtate, nullibique reperitur ipſi interdictum conficere teſtamentum: nam *textus nu. præced.* adducti intelliguntur de ingreſſu irrevocabili, & cum affectu, non autem de revocabili, qualis eſt tempore novitiatus, & conſtat ratione ibi adducta, quæ eſt, quod ſe, & ſua dedicarit, nihilque proprium habeat, quod in novitiis locum non habet. Et ita ſentiunt univerſi Doctores, qui paſſim abſolutè dicunt novitios poſſe teſtari, ſi enim alicujus licentia exigeretur, minus verum eſſet dicere poſſe illos teſtari. Sed in propriis terminis docent nullam exigi licentiam, *Navar. comment.* 2. *de regularibus*, *num.* 49. *Covar. cap.* 2. *num.* 5. *in fin. de teſtament.* *Craſſus de ſucceſſ. ab inteſtato*, §. *teſtamentum q.* 34. *num.* 5. *Gutier. quæſtionibus canonic. lib.* 2. *c.* 1. *num.* 25. *Va des* alios referens *in additionibus ad Suarez allegat.* 20. *litera M.* *Tapia d. authent. ingreſſi*, *verb. ſua c.* 2. *nu.* 24. *in fine*, & *verb. ideoque nec de his*, *c.* 1. *nu.* 15. *Molina tomo* 1. *de juſtitia diſp.* 139. *column.* 5. *verſ. his ita conſtitutis*, *Azor. tomo* 1. *inſtitutionum moralium*, *lib.* 12. *c.* 2. *in fine*, & *c.* 6. *qu.* 5.

4 Quod quidem verum eſt, & ſi novitius ille ſit ordinis Minorum, quia in illo quoque militant rationes propoſitæ, & ita docent *Francus rubrica de teſtam. in* 6. *nu.* 67. *Navar. num. præcedent.* allegatus. Nec obſtat quod docet *Corduba ſuper regul. Minorum cap.* 2. *quæſt.* 8. *puncto* 2. dicens novitios ordinis

ordinis Minorum volentes in ea profiteri, teneri diſtribuere bona ſua in pauperes; Nam Manuel q. regul. tomo 3. quæſt. 16. art. ultim. id reprobat, probans optimè ſolum eſſe conſilium.

5 Hoc autem fallit ſecundùm aliquos in novitios Societatis JESU, qui quidem abſque ſuperioris licentia teſtari nequeunt, quippe cum ea lege in novitiatum recipiantur, ut nihil niſi conſcio, & approbante ſuperiore, dum in Societate perſeveraverint, efficiant, & ſimplici promiſſione ſe adſtringant ad diſponendum de omnibus ſuis rebus abſque ſpe ullo tempore recuperandi, quandocumque poſt primum novitiatus annum ſuperior injunxerit, ut retulimus c. 1. nu. 31. facerent contra fidem datam, ſi ſine ſuperioris licentia teſtarentur, & id eſſet juſta cauſa expulſionis, quare tenerentur novitii, vel novitiatu egredi, vel teſtamentum revocare, promptoſque ſe reddere ad abdicanda à ſe omnia bona, quando finito primo probationis anno à ſuperiore eis injungeretur. At id teſtamentum factum abſque licentia eſſet validum, utpotè factum ab homine ſimpliciter ſui juris. Sic Molina tom. 1. de juſtit. diſp. 139. col. 5. verſ. eſt verò obſervandum. Hæc tamen limitatio mihi diſplicet, quia cum novitii Societatis JESU ſimplici illa promiſſione ſolum ſe adſtringant ad diſponendum de ſuis bonis diſpoſitione irrevocabili inter vivos, quando ſuperior injunxerit, nec ſe obligent ad non diſponendum prius alio modo, nullatenus contravenitur ei promiſſioni diſponendo antea per teſtamentum cum intentione diſponendi inter vivos, quando ſuperior injunxerit, quia cum teſtamentum illud ſit revocabile, non obſtat facultati diſponendi inter vivos, per quam diſpoſitionem revocatum manebit: ſicut idem Molina eadem diſputat. 139. col. 6. verſ. hinc jam facilè, ait ingredientem novitiatum Societatis JESU condito prius teſtamento, admonendum eſſe peracto primo probationis anno teneri quando ſuperior id injunxerit, illud revocare, & diſponere omninò de ſuis bonis abſque ſpe recuperandi, ſicut in ſuo ingreſſu in novitiatum promiſit. Cur ergo non dicemus idem de teſtamento effecto in ipſomet novitiatu? Atque ita ſentio hujuſmodi novitios, antequam diſponere inter vivos irrevocabiliter à ſuo ſuperiore jubeantur, poſſe liberè teſtari abſque ulla licentia, cum intentione tamen firma revocandi, & diſponendi, prout promiſerunt, quando ſuperior injunxerit poſt primum probationis annum, quod certius videtur in novitiis morti proximis: tunc enim convenientius eſt, ut diſponant de ſuis bonis, & ſæpè expediet non expectare conſenſum Prælati.

Hoc autem intelligo, ſi novitii illi vota novitiorum non emiſiſſent; quippe iis emiſſis non poſſent licitè teſtari abſque ſuperioris licentia, propter votum paupertatis, quo adſtringuntur, quod obligat ad nullatenus de propriis bonis diſponendum abſque ſuperioris facultate. Utrum verò id teſtamentum valeat, dicemus infra.

6 Id tamen verum eſt, quod ait Molina eadem diſput. 139. col. 5. verſ. eſt verò obſervandum, nimirum, nihil impediente hoc teſtamento teneri hunc poſt emiſſa vota ſub mortali, ſi ita ſuperiores eum adſtringere vellent, revocare teſtamentum, & abdicare à ſe omnia bona abſque ſpe illa recuperandi, quia votum paupertatis ad id obligat: & quamvis non explicet, an ſolùm ad hoc teneantur, qui vota biennii emiſere in Societate, an etiam qui eadem vota tempore novitiatus; ad de utriſque idem credo, quia æquè utrique voto paupertatis ſub eadem forma emiſſo adſtringuntur.

7 Tenetur autem novitius teſtans relinquere legitimam jure debitam aſcendentibus, & deſcendentibus, ut benè docent Francus eadem rubric. num. 66. & 70. Navarr. comment. 2. de regular. num. 44. quod eo vel maximè verum eſt, quia communiſſima ſententia idem affirmat de profeſſo teſtante, idque ita eſſe probavimus ſupra, & (ut benè advertit Navarr.) etſi id non eſſet verum de profeſſo teſtante, per authent. ſi qua mulier C. de ſacroſanct. Eccleſ. cui innituntur dicentes profeſſum non teneri legitimam relinquere aſcendentibus, adhuc eſſet verum in novitio teſtante, quod hic nullo jure liberetur hoc onere: nec textus liberans profeſſos debet extendi ad novitios in aſcendentium præjudicium. Et an per id teſtamentum præjudicare poſſit uſufructui, quem legat pater in adventitia, dicemus infra.

8 At monaſterio non tenetur aliquid relinquere in eo teſtamento, quia d. authent. ſi qua mulier, præcipiens legitimam ſervari monaſterio, loquitur de profeſſo teſtante, cui interdictum erat jure ipſo teſtari; idque ſpeciali jure indultum eſt, ſi liberos habeat, cum eo tamen onere relinquendæ ſuæ partis monaſterio, ut explicabimus infra. At novitio nullibi id onus eſt injunctum, & ita docent Francus eadem rubrica, num. 67. & 68. Berous c. in præſentia, nu. 219. de probationibus, Navarr. eo comment. 2. num. 49. ac proinde non ſuccedet monaſterium contra id teſtamentum, ut benè tradit Tapia authent. ingreſſi verb. ſua cap. ſecundo, nu. 14. in fin. & verb. ideoque nec de his cap. 1. nu. 15. & dicemus latius infra q. 3. in hoc cap.

9 Sed difficultas eſt, an novitius poſſit teſtari de ſpe, quam habet ſuccedendi parentibus adhuc ſuperſtitibus? Solutio conſtat ex dictis c. præced. in quo oſtendimus deciſionem l. final. C. de pactis, procedere non ſolùm in pactis, ſed etiam in teſtamentis, & non obſtante ea deciſione poſſe novitios per pacta, & renunciationes irrevocabiles diſponere de hæreditatibus nondum delatis, & de ſpe ſuccedendi parentibus. Unde etiam fit, eos novitios poſſe diſponere ſimiliter per teſtamentum de eiſdem.

10 Hinc deducitur primò, poſſe novitium majoratum inſtituere, ſive ante ingreſſum novitiatus, ſive poſt ingreſſum in novitiatum, ſive teſtamento, ſive contractu irrevocabili (loquor ante Tridentinum.) Ratio eſt, quia nullo jure interdicitur ſibi de ſuis bonis diſponere, & tenent Molina lib. 2. de primogeniis cap. 9. nu. 52. juncto num. 39. Tapia authent. ingreſſi verb. ideoque nec de his, c. 1. à num. 69. uſque ad 72. C. de ſacroſanct. Eccleſ. Alter Molina tom. 8. de juſtit. diſp. 604. nu. 1. & 2. quod etiam verùm eſt in novitiis Societatis, juxta dicta num. 5.

11 Secundò deducitur, minus verum eſſe, quod tradunt Decius authent. ingreſſi, num. 4. C. de ſacroſanct. Eccleſ. & cap. in præſentia in nova editione, nu. 285. de probationib. & Cavalcan. deciſ. 11. num. 111. parte 3. ubi alios refert, nempè, bona novitii acquiri ipſo ingreſſu ante profeſſionem monaſterio: at ſi non fiat poſtea profeſſio, acquiſitionem reſolvi. Et optimè id reprobant dicentes eſſe falſum Pariſ. eodem c. in præſentia, nu. 188. & Menochius de præſumpt. lib. 6. præſumpt. 84. nu. 11. & 12. quia nullo modo bona ingreſſi acquiruntur religioni ante profeſſionem, nec etiam revocabiliter; quamvis enim velit in religione perſeverare, poteſt de illis bonis teſtari. Ergo falſum eſt, ea acquiri religioni ſub ea conditione, ſi non receſſerit.

12 An verò novitius uſufructuarius, vel cui annuum legatum relictum eſt, poſſit hæc teſtamento legare alteri, explicabitur infrà, dum ſermo erit de peculiis filiifamilias tranſeuntis ad monaſterium.

13 Rurſus eſt difficultas, an quando novitius legavit aliquid, & poſtea tempore novitiatus egreſſus eſt monaſterio, cenſeatur illud legatum revocatum? Hoſtienſis cap. ſtatuimus num. 4. de regular. & ibi Joannes Andr. num. 2. Anchar. nu. 7. Abbas num. 4. Cardinalis quæſt. 4. & meliùs Gregorius Lopez l. 3. verb. puede, tit. 7. part. 1. docent, legata à novitio, ſicut ab ipſo donata, cenſeri intuitu religionis legari, ac proinde eo egreſſo revocari: & ideo idem cenſent, quod de donatione facta à novitio, & neceſſariò debent intelligere, quando eo teſtamento non mutato, nec denuo confirmata deceſſit egrediens à religione; quia, ſi denuò poſt egreſſum confirmaretur, ceſſaret jam prior præſumptio revocationis, & maneret confirmatum legatum per poſterius teſtamentum: ſi autem denuo revocaretur, nulla quoque eſſet difficultas. Quare apertè ſentiunt hi Doctores, legatum hoc cenſeri revocatum eo ipſo quod novitius hic religione egreditur, & manere peremptum legatum, niſi denuo ſe confirmare explicet; quia præſumitur cauſa finalis illius legati ingreſſus religionis: & cum eodem modo loquantur de donatione, & legato, videtur intelligendum cum eiſdem limitationibus, quas c. 1. à nu. 6. adhibuimus donationi. Et ſic Cardinalis limitavit, quando omnia legavit. Et idem dicendum eſt, quando majorem partem legavit, ut diximus de donatione: & ſimiliter intelligendum eſt, quando non ſunt aliæ conjecturæ, quæ ſuadeant id legatum non contemplatione ingreſſus religionis relictum: ſimiliter diximus de donatione, & ſicut in illa diximus, intelligendum eſt, non tantùm quando in ipſo novitiatu, ſed etiam quando contemplatione ingreſſus in illum legavit, quia eadem eſt ratio præſumptionis. Et quamvis in donatione id intellexerim, ſive donatio facta ſit ipſi monaſterio ſive cuicumque extraneo; at legatum extraneo factum non exiſtimo fieri contemplatione ingreſſus religionis, quia ceſſat ratio præſumptionis, quæ eſt in donatione: donatio enim præſumitur facta contemplatione religionis, quia cum rebus donatis ſit ſtatim donans ſpoliandus, non præſumitur velle ſe ſuis bonis ſpoliare, niſi eo quod profeſſurus ſit in religione: at cùm legato non ſit ſpoliandus, niſi poſt mortem, nulla eſt ratio perſuadens, ut legatum illud extraneo factum cenſeatur contemplatione ingreſſus religionis fieri: at quando fit monaſterio, cogit ratio ad hanc præſumptionem capiendam, quia cùm legatum ſit rei notabilis, videtur affectu monaſterii fieri, in quo legans ſe profeſſurum exiſtimat. Et quamvis in donatione multi exiſtiment eam quoque revocari novitio non ingrediente, ſed moriente tempore novitiatus; at in legato facto monaſterio id mihi non perſuadeo, quia quamvis finito anno ſe profeſſurum exiſtimans legaverit, at cùm is poſtea non egreſſus ſit, ſed in monaſterio obierit, non præſumitur ceſſare affectum ad religionem, eo vel maximè quòd, cum novitiatus brevi tempore duret, non magna diſtantia inter teſtamentum, & mortem potuit eſſe, atque ita præſumitur voluntas cum eo teſtamento decedendi.

14 Si verò novitius hæredem inſtituiſſet monaſterium, quamvis ab eo recedat, non manebit revocata hæredis inſtitutio, quia ea revocari non poteſt, niſi alio confecto teſtamento valido, eadem enim ſolemnitas requiſita ad actum conficiendum, requiritur ad eum deſtruendum. l. hæredes palam, §. ſi quid poſt, ff. de teſtamentis hæreditas autem dari non poteſt, niſi per teſtamentum, §. penult. inſtit. de codicillis, l. 2. tit. 12. part. 6. & inter alios probat Matienzo lib. 5. recopilat. tit. 4. l. 1. gloſ. 10. num. 6. Antonius Gomez l. 3. Tauri, num. 104. & ibi Burgos de Paz num. 482. & Cervantes ibi nu. 153. & Molina lib. 2. de primogeniis c. 8. num. 29. & plures citati à Menochio lib. 4. de præſumptioo. præſump. 19. nu. 2. 3. & 4. quod

quod verum eſt, quando teſtator non explicuit in teſtamento, ſe ideo inſtituere monaſterium hæredem, quia in eo victurus erat; tunc enim per receſſum inducitur revocatio illius inſtitutionis ob defectum cauſæ finalis, ut in univerſum probat Menochius citatus lib. 4. præſumpt. 24. qui etiam præſump. 30. num. 2. probat, conjecturas, quæ ſumuntur ex ſcriptis in teſtamento, ſufficere ad inducendum exhæredationem.

15 Tandem eſt difficultas, an religioſis interdictum ſit inducere novitios, ut aliquid monaſterio relinquant? Manuel 2. tomo ſumm. c. 7. num. 11. & Suarez tom. 5. in 3. p. diſp. 22. ſect. 5. num. 5. & alii, quos ipſi adducunt, multis oſtendunt, licitum eſſe inducere novitios, ut donent, ſeu relinquant ſua bona monaſteriis, dummodò id fiat bono fine, & ita moderatè, ut relinquatur novitiis libertas ad diſponendum de ſuis bonis.

SUMMARIUM.

An teſtamentum novitii volentis ingredi novitiatum indigeat ſolemnitatibus juris communis? refertur quædam ſententia, nu. 16. & 17.

Sententia Auctoris, nu. 18.

An hæ ſolemnitates ſint, quas petit jus civile, vel quas eccleſiaſticum? refertur quædam ſententia, nu. 19.

Explicatur ſententia Auctoris, nu. 20.

An religioſi, & clerici adſtringantur legibus civilibus? numero 21.

An contractus novitiorum deſideret ſolemnitates juris civilis? num. 22.

An novitius, vel volens ingredi religionem, ſi ſit minor, poſſit diſponere de bonis abſque auctoritate tutoris, & decreto judicis? num. 23.

16 QUæſtio ſecunda. Quas ſolemnitates deſideret teſtamentum à novitio, vel volente religionem ingredi confectum. Quidam exiſtimant in teſtamento hoc minimè deſiderari ſolemnitates jure communi petitas, ſed eas tantùm ſufficere, quæ in teſtamento militis ſatis ſunt, ac proinde poſſe abſque numero teſtium in aliis teſtamentis petito teſtari, & decedere partim teſtatum, & partim inteſtatum, nec rumpi teſtamentum ex filii præteritione, ſed huic præterito ſolam actionem ad legitimam petendam concedi; ſicut hæc omnia in militum teſtamento peculiaria ſunt, juxta totum titulum, ff. de militar. teſtamento. Ducuntur quod rationi diſſonet, minori privilegio gaudere milites cœleſtis pugnæ, quales ſunt novitii, quam milites terreſtris. Secundò, quia quando Princeps concedit teſtandi facultatem perſonæ aliàs habili ad teſtandum, concedit poſſe teſtari abſque juris ſolemnitate, ut teſtatur Gloſſa communiter recepta, per illum textum l. ſi quando, 35. verb. conceditur, C. de inoffic. teſtament. ne privilegium id fruſtraneum ſit. At §. illud quoque authent. de monachis, conceditur novitiis libera teſtamenti confectio. Cùm ergo aliàs ſint habiles, ſecluſo eo privilegio, ad teſtandum, id operabitur ut eorum teſtamentum ſolemnitatibus juris non indigeat. Et ideo hanc partem ſuſtinent Bartolus authen. ſi qua mulier, num. 7. C. de ſacroſanctis Eccleſ. & ibi Paulus nu. 4. Jaſon num. 23. Abbas c. quia nos, num. 4. de teſtament. & c. in præſentia num. 49. de probationib. & ibi Pariſius num. 240. & duplici ſequenti, Berous num. 509. Ferretus num. ult. Decius conſil. 31. num. 3. vol. 1. Guillelmus Benedict. c. Raynutius, de teſtament. verb. in eodem teſtamento relinquens, num. 134. & 2. n. 24. & verb. teſtamentum e 1. num. 35. Angelus verb. teſtamentum, num. 26. Sylveſter verb. teſtamentum, 1. qu. 10. dicto 4. Claudius Aquenſis l. inter cætera, num. 12. ff. de liberis, & poſtumis, Gama deciſ. 316. p. 1. num. 4. in fine, Flores de Mena addit. ad Gama, deciſ. 319. circa 3. concl. Antonius Cuccus tractatu de legibus, quem edidit ſuper repetitione authent. noviſſima, C. de inofficioſo teſtamento, verſ. quoquo modo relicti titulo, nu. 29. Julius Clarus lib. 2. receptarum, §. teſtamentum q. 28. n. 2. Emmanuel Sà ſumma verb. teſtamentum, nu. 21. & 25. Azor. tomo 1. inſtitutionum moralium, lib. 12. c. 2. q. 15. Manuel quæſtionibus regular. tom. 3. q. 69. art. 11. in fine.

17 Et omnes prædicti Auctores videntur id concedere ſolùm de novitio teſtante, ſed etiam de eo, qui volens novitiatum ingredi teſtatur, quod proximè accingendus habeatur pro accincto l. penultima, ff. de militari teſtamento, unde id colligunt communiter, & latè exornant Niconitus in rubr. ff. ſoluto matrimonio, à num. 190. Tiraquel. poſt l. connubiales, gloſſa 2. à nu. 12. quamvis id non declarent, quia nomine ingreſſus poſſunt intelligere profeſſionem, etſi volentem ingredi appellent: id expreſſit Julius Clarus præced. nu. allegatus.

18 Quamvis autem præcedentem opinionem propter tot Auctorum teſtimonia probabilem appellare poſſimus; at multò probabiliùs eſt teſtamentum volentis ingredi religionem, & novitii indigere ſolemnitatibus juris communis. Probatur, quia nullibi in jure reperitur id privilegium novitiis conceſſum, nec eſt apta æquiparatio de milite terreſtri ad novitium, non enim miles dicitur, niſi poſt profeſſionem, quando jam teſtari nequit, & ſi proximè accingendus haberetur in hac re pro accincto, judicaretur ille novitius tamquam profeſſus, & ſic teſtari nequiret. Nec illa l. penult. probat proximè accingendum haberi pro accincto, quia loquitur in proximè cingendo, qui retinetur in comitatu Principis; huic enim favorabiliter conceſſum eſt, ut interim privilegiis militum utatur, ut advertit Viglius, §. ſed ſi quis, num. 2. inſtitut. de teſtament. Quare extra illum caſum proximè accingendus non habetur pro accincto, ut efficaciter probat l. antepenult. ff. de militari teſtament. optimè explicata per Corraſium lib. 5. miſcellan. c. 22. num. 4. & tradit Barboſa l. divortio 8. §. interdum, num. 8. ad fin. ff. ſoluto matrimonio. Et confirmatur, quia argumentum à paritate rationis, ut ſimiliter aliquid aliis concedatur, eſt valde infirmum, dum conceſſio expreſſa non reperitur, eo vel maximè quod diſſimilis ſit ratio in hoc: nam militibus ſolemnitas juris in teſtamentis relaxatur propter eorum imperitiam l. ſecundum, ff. de teſtamento militis, l. quamquam, C. eodem tit. quia ipſi potiùs arma ſcire præſumantur, quæ ratio ceſſat in ingredientibus religionem. Secundò, quia dum §. illud quoque, authent. de monachis, diſponitur poſſe novitium teſtari quomodo voluerit, ea verba non inducta ſunt ad concedendum aliquod privilegium novitiis, ut ſic aliquid novum debeant operari; ſed tantùm ad declarandum, tranſacto novitiatu non licere eis teſtari, & ideo oportere, ut diſponant ante profeſſionem: at verba inducta ad diminutionem non debent operari argumentum l. legata inutiliter, ff. de legatis 1. & ita corruit utraque ratio pro præcedenti opinione adducta. Et ideo hanc partem ſuſtinent Decius authent. ingreſſi, num. 10. C. de ſacroſanctis Eccleſ. & c. in præſentia, in nova edit. à nu. 236. de probation. & ibi Imola nu. 22. Mantua num. 62. Romanus conſil. 237. num. 4. de ſucceſſ. creat. lib. 2. §. 21. num. 174. Navarr. commentario 2. nu. 52. de regular. Burgos de Paz l. 3. Tauri latiſſimè à nu. 683. Magdalenus de numero teſtium, parte 1. c. 13. num. 28. Gutier. qq. cantn. lib. 2. c. 1. num. 14. in fine Garzia reg. 456. num. 9. Tapia d. authen. ingreſſi, verb. ideoque nec de his, c. 1. n. 17. & duplici ſequenti, Molina tomo 1. de juſtitia diſp. 139. colum. antepenult. verſ. ad id unde, Boetius Epono c. 2. à num. 13. de teſtamentis, Bened. Ægid. l. 1. p. 4. §. 2. nu. 3. & p. 2. §. 1. nu. 25. Manuel 2. tomo ſumma c. 7. num. 9. Lælius Zecchius de Rep. eccleſiaſtica, tit. de regular. c. 3. nu. 10. Vega 2. tomo ſumma c. 50. caſu 3. in fine.

19 Sed rurſus eſt difficultas, an ſolemnitates petitæ in hoc novitiorum teſtamento, ſint eæ, quas jus civile inducit vel eæ ſolæ, quas jus eccleſiaſticum c. relatum, de teſtamentis? Quidam enim exiſtimant eas ſolas requiri, quas jus eccleſiaſticum inducit, quod novitii inter perſonas eccleſiaſticas computantur, gaudentque fori privilegio inſtar eccleſiaſticorum, ut latè probavimus lib. præcedenti, c. 10. atque ita docent Præpoſitus c. nulli 20. q. 5. n. 15. Anchar. conſ. 69. à num. 11. uſque ad finem, Suarez allegat. 20. num. 29. qui hoc limitat, ſi poſtea profeſſionem fecerit, Tapia authen. ingreſſi, verb. ideoque nec de his c. 1. nu. 19. Molina tom. 1. de juſtitia, diſp. 139. columna antepenult, verſ. ad id unde, Azor. tomo 1. inſtitutionum moralium, lib. 12. c. 2. q. 15. addit Molina, ſecus eſſe in teſtamento ejus, qui adhuc in novitiatum non eſt ingreſſus. Favent multi, quos refert, & ſequitur Tello l. 3. Tauri. 1. p. num. 11. dicentes clericum inſtituentem clericum, non indigere ſolemnitatibus juris civilis, ſecus quando laicum inſtituit: unde idem dicere debent ſi novitius ſaltem inſtitueret clericum.

20 Verum exiſtimo neceſſarias eſſe ſolemnitates juris civilis. Ducor, quoniam nulli eccleſiaſtici exempti ſunt ab his legibus civilibus, quæ non ſunt contra libertatem eccleſiaſticam, ſed ad bonam Reipub. adminiſtrationem ſunt inſtitutæ, ut optimè cum Sylveſtro, Victoria, & Soto tradit Molina tom. 1. de juſt. diſp. 31. col. penult. concl. 6. quales non ſunt iſtæ; & meliùs alter Molina lib. 2. de primogeniis c. 10. n. 81. ait, allegatis Abbate, Decio, & aliis, leges civiles nullam de clericis mentionem facientes indiſtinctè ligare clericos, & religioſos, ſicut & ſæculares, niſi clericis ſint præjudiciales, & tunc non cenſet præjudiciales, quando non potiùs in clericorum favorem, ſeu odium, quam laicorum conceſſæ ſunt: & idem tenet Vaſquez 1. 2. qu. 96. art. 1. diſp. 167. in fine ubi ait, licet clerici non ſubdantur pœnis legis civilis, ſubdi tamen eos legibus civilibus irritantibus contractus, & teſtamenta, niſi tali ſolemnitate, & modo fiant, eaſque eſſe à clericis obſervandas, & factum ab eis alio modo eſſe omninò irritum. Quod hæ irritationes non ſint pœnæ, ſed diſpoſitiones legum ad irritandos contractus, & conſulendum communi Reipub. bono, & paci, & ut litibus obviam eatur; quippe, niſi his legibus ſubjecti eſſent, minus rectè proſpectum eſſet communi Reipub. bono, at religioſi eodem prorſus modo, ac clerici ſeculares adſtringuntur legibus civilibus, ut probat idem Vaſquez eadem diſp. 167. num. 32. & Molina tom. 1. de juſtit. diſp. 133. colum. penult. verſ. dubitant Doctores, quamvis anceps in eam partem inclinet, clericorum teſtamentum indigeat ſolemnitatibus juris civilis. Et ideo pro hac ſententia ſunt Doctores, quos nu. ſequenti referemus, aſſerentes contractus horum novitiorum neceſſariò celebrandos eſſe cum ſolemnitatibus jure civili petitis: quia eadem eſt ratio de teſtamentis, & à contractibus ad teſtamenta validè ducitur argumentum, ut latè probat Everardus in ſuis topicis, loco 36. à contractibus ad ultimas voluntates, nu. 1. & 2.

21 Quare non approbo quod tradunt Anchar. conſil. 69. uſque in finem, Decius conſ. 31. num. 3. vol. 1. Suarez allegatione 20. nu. 29. ubi dicunt contractus novitiorum contentos eſſe ſolis

ſolis juris eccleſiaſtici ſolemnitatibus; limitatque Suarez, niſi novitius deſeruerit religionem. Sed exiſtimo deſiderari ſolemnitates juris civilis, ut probat ratio tradita num. præcedenti & docent Paulus, quem refert, & ſequitur Tiraquellus de retractu lignagier, §. 1. gloſſa 18. nu. 40. & Bimius conſ. 32. nu. 5. vol. 1.

22 Hinc inferet fortè aliquis, novitium, aut volentem ingredi religionem, minorem vigintiquinque annis non poſſe validè diſponere ſine auctoritate curatoris, & etiam ſine decreto Judicis, ſi de rebus immobilibus diſpoſiturus ſit, & ejus diſpoſitionem confirmandam eſſe juramento, ne poſtea locus ſit reſtitutioni: nam in diſpoſitione bonorum jura civilia hæc omnia requirunt in minoribus. Sed an eædemmet conditiones obſervandæ ſint in his, qui de bonis diſponunt, ut religionem ingrediantur, commodiùs explicabitur infrà.

SUMMARIUM.

An teſtamentum factum ante religionis incapacis ſuccedendi ingreſſum, revocetur eo ipſo ſequuta profeſſione? nu. 23.

Quid quando religio eſt capax ſuccedendi? referuntur variæ ſententiæ à nu. 24. uſque ad 34.

Explicatur ſententia Auctoris à nu. 34. uſque ad 37.

Quid ſi teſtator poſtea, quando monaſterium ingreſſus eſt, contulerit ei bona, an cenſeatur revocatum teſtamentum? num. 38. & 39.

An donatio cauſa mortis facta ante profeſſionem extraneo, revocetur profeſſione? nu. 40.

Quid de donatione inter vivos? nu. 41.

An ſubſtitutio pupillaris in teſtamento facta evaneſcat per profeſſionem patris, qui eam fecit? & quid quando profeſſio fuit in religione incapaci? nu. 42.

Quid ſi profeſſio facta eſt in religione capaci? nu. 43. & 44.

Quid ſi pater illo diſpoſuiſſet, ut à die profeſſionis vim haberent contenta in teſtamento? nu. 45.

Quid in ſubſtitutione pupillari facta ab eo, qui emittit vota biennii, aut vota coadjutorum formatorum in Societate JESU? num. 46.

Quid ſi à religione poſtea expelleretur? nu. 47.

Quid ſi in ſubſtitutione pupillari facta per fratrem Franciſcanum ante profeſſionem qui poſtea vivo pupillo tranſit ad religionem ſuccedendi capacem, & eo profeſſo in poſteriori vivente adhuc, vel jam mortuo obiit pupillus? nu. 48.

An id dicendum ſit, ſi ejicerentur à religione? num. 49.

Quid de iis, qui vota biennii in Societate JESU emiſere, & antea in teſtamento fecerant ſubſtitutionem pupillarem? numero 50.

Quid de profeſſis in ordine militari, an per hanc profeſſionem ceſſet ſubſtitutio pupillaris? nu. 51.

Quid ſi pater ſubſtituit filio pupillariter, & is impubes mortuo patre profeſſus eſſet diſpenſatione Pontificia? nu. 52.

23 QUæſtio tertia. An teſtamentum factum ante ingreſſum religionis, in quo non eſt inſtitutum monaſterium, revocetur eo ipſo ſequuta profeſſione? Hac in re certum eſt nequaquam rumpi, aut revocari, quando monaſterium eſt incapax ſucceſſionis, quia jus ſuccedendi, & jus rumpendi ſunt connexa, & inſtar connexorum ſe habent in actu, & privatione: ita ut qui nequit ſuccedere, nequeat etiam rumpere, l. ſuus hæres C. de repud. hæredit. & l. ſi poſt mortem §. liber. ff. de bonorum poſſeſſ. contra tabulas in cujus regulæ probationem multa cumulat Tiraquel. de primogeniis, quæſt. 53. num. 13. & pluribus ſequentibus. Nec etiam cenſetur revocari contraria præſumpta voluntate; quia ea voluntas ſolùm præſumi poteſt in monaſterii favorem, ut illud ex religioſi perſona ſuccedat in ejus bona: quando ergo nequit ſic ſuccedere ceſſat revocandi præſumptio. Atque ita docent tamquam certum Baldus authent. ſi qua mulier num. 12. & ibi Paulus num. 4. Antonius cap. in præſentia, num. 32. de probationib. & ibi Felinus nu. 54. Imola l. 1. nu. 11. ff. de teſtament. Jaſon l. Gallus §. & quid ſi tantum nu. 12. ff. de liberis, & poſthumis. Ananias c. 1. nu. 10. de teſtament. Roſel. authent. ingreſſi num. 28. C. de ſacroſanct. Eccleſ. Guillelmus Benedict. c. Raynutius, verb. mortuo itaque teſtatore, el 1. n. 302. de teſtament. Julius Clarus lib. 3. receptarum §. teſtamentum qu. 28. num. 4. Molina lib. 2. c. 1. nu. 18. alter Molina tom. 1. de juſtit. diſp. 139. dub. ultimo.

24 Difficultas igitur eſt, quando religio capax eſt ſucceſſionis. Qua in re adeò variant auctores, ut meritò poſſit dici, quot ſunt capita, tot eſſe ſententias, ſed eas ad quadruplicem reducemus, notando in ſingulis peculiares limitationes, quas aliqui earum patroni adhibent. Prima ergo ſententia abſolutè docet rumpi teſtamentum ſequuta profeſſione quaſi agnatione poſthumi, niſi aliquid monaſterio in eo teſtamento relictum ſit jure inſtitutionis; quamvis ſit unus denarius. Ducitur, quod monaſterium habeatur loco filii, ut tenent multi, quos referam infrà; filius autem rumpit teſtamentum patris, quando omninò eſt præteritus; ſecus ſi in aliqua parte inſtitutus ſit, quamvis minor ſit, quàm legitima: tunc enim non rumpit, ſed ad ſolùm legitimæ ſupplementum aget l. omni modo, & ibi Doctores, C. de inofficioſo teſtamento, & hoc quamvis in uno ſolo nummo inſtitutus ſit, ut alios allegans probat Tiraquel. tract. de judicio in rebus exiguis num. 160. Hanc opinionem ſuſtinent Gloſſa cap. ſi qua mulier. verb. non obſtantibus 19. q. 3. & §. ſi qua mulier. verb. in proprios, authent. de ſanctis Epiſcopis, & authent. ſi qua mulier. verb. competere. C. de ſacroſanct. Eccleſ. & authent. de monachis §. ſi quis autem verſ. illud, verb. voluerit. Cynus d. authent. ſi qua mulier. num. 1. & ibi Odofredus num. ultim. Petrus de Bellapertica col. 2. quæſt. 3. Abbas antiquus cap. in præſentia num. 2. & ibi Innocentius num. 7. Hoſtienſ. num. 11. de probationibus. Jaſon rub. ff. de liberis, & poſthumis num. 8. & num. 19. & rub. C. de poſthum. num. 3. Romanus toto conſ. 273. Quando autem rumpitur teſtamentum, eo quod omninò monaſterium in eo præteritum ſit, ceſſabitur omninò, & monaſterium in omnia religioſi illius bona ſuccedet, tradunt Gloſſa ea. authent. ſi qua mulier. verb. competere, & ibi Cynus, nu. 1. Petrus de Bellapertica col. ultima.

25 Inſuper quidam ex iis Doctoribus ampliant dicentes rumpi quoque id teſtamentum capitis minutione, juxta §. non tantum, inſtit. quibus modis teſtamentum infirmetur, quod religioſus mutans omninò ſtatum, ac penitus ſui juris deſinens eſſe, in alteriuſque poteſtatem translatus, cenſeatur capite minutus. Sic Gloſſa auth. de monachis, §. ſi quis autem verſ. illud, verb. voluerit, Innocentius dicto c. in præſentia num. 7. & ibi Hoſtienſ. nu. 11.

26 Limitant autem aliqui ex his Doctoribus dupliciter. Priori modo, niſi ante ingreſſum teſtamentum conditum ſit inter liberos; tunc enim non rumpetur, quamvis nihil monaſterio relictum ſit, argumento dict. authent. ſi qua mulier, à contrario ſenſu: ibi; antequam inter eos diſponat: & ita docent ibi Gloſſa verb. competere, & ibi Cynus num. 2. Poſteriori modo limitat Odofredus ea. authent. ſi qua mulier. num. ultim. ut tunc rumpatur teſtamentum, quando habens animum ingrediendi, non inſtituit monaſterium, ſecus ſi de ingreſſu non cogitavit.

27 Secunda ſententia docet irritari teſtamentum per religionis profeſſionem, ſive teſtans cogitavit de ingreſſu, ſive nil prorſus de illo cogitavit, & ideo bona omninò transferri in monaſterium. Ducitur primò, quia valor teſtamenti petit duplici tempore habilem eſſe teſtatorem ad teſtandum, nempe, tempore teſtamenti, & tempore mortis naturalis l. 1. §. exigit, & §. ſufficit ff. de bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas: at teſtator hic tempore mortis naturalis, quo totas vires ſortitur teſtamentum, eſt incapax ad teſtandum cùm jam profeſſus ſit; ergo corruet teſtamentum. Et confirmatur, quia actus devenit ad eum caſum, à quo incipere non poteſt: ergo omninò vitiatur l. pluribus, 140. §. etſi placet ff. de verb. obligat. Secundò, quia voluntas illa, & cogitatio præambula ingreſſui religionis non poſſunt obeſſe, quia in actu revocabili factum contrarium ſequens prævalet poſteriori antecedenti l. cum plures §. locator horrei. ff. locati. At hic eſt factum contrarium: dum enim ille monaſterio ſe per profeſſionem dedicat, cenſetur illa bona donare; ergo ea prævalebit teſtamento revocabili, illudque omninò infringet. Hanc ſententiam ſuſtinet Salycetus d. authent. ſi qua mulier num. 5. atque eam in puncto juris ſuſtineri poſſe tradit Jaſon ibi nu. 21. Addit Salycet. ibi n. 6. quamvis prius teſtamentum ſit inter liberos factum, irritari attento juris rigore, etſi monaſterium ſit in aliquo inſtitutum; ſecus attenta æquitate, cum poſt profeſſionem permittatur ei inter liberos diſponere.

28 Tertia ſententia ſic diſtinguit: ſi dum quis teſtatus eſt, non cogitabat de religionis ingreſſu, rumpitur teſtamentum profeſſione ſubſequuta, quaſi mutatione prioris voluntatis; ſecus autem ſi cogitabat. Ratio eſt, quia in priori caſu cenſetur mutare priorem voluntatem, & ſic teſtamentum illud, eo ipſo quod ſe, ſuaque bona monaſterio dedicet, authent. ingreſſi C. de ſacroſanct. Eccleſ. in poſteriori autem eventu nulla nova voluntas ex profeſſione conſurgit, cum tempore teſtamenti facti adfuerit cogitatio profeſſionis, & illa non obſtante teſtamentum præterito monaſterio in favorem extranei conditum ſit. Hanc ſuſtinent Bartol. authent. ſi qua mulier, num. 7. C. de ſacroſanct. Eccleſ. & ibi Baldus num. 12. Paulus num. 4. Albericus num. 5. verſ. ſed dic. Jacobus Butrigarius quæſt. 6. & Vergnia in addit. ad eum q. 1. Jaſon re latiſſimè diſputata num. 21. in fine idem Paulus authent. niſi rogati C. ad Trebellian. & athent. nunc autem, C. de Epiſcopis, & clericis. Imola cap. in præſentia num. 22. de probat. & ibi Decius in nova edit. num. 244. & ſequenti. Bellamera num. 22. Ripa l. ſi umquam qu. 35. num. 94. C. de revocand. don. Guillelmus Benedict. cap. Raynutius verb. mortuo itaque teſtaque teſtatore el 1. num. 297. de teſtament. Montalvus l. 17. ad fin. tit. 1. p. 6. Roſel. authent. ingreſſi, num. 25. C. de ſacroſanct. Eccleſ. Covar. cap. 2. num. 5. de teſtament. & c. quamvis pactum 3. p. §. 2. num. 5. Alvarad. de conject. ment. teſtatoris lib. 2. c. 1. in princip. num. 5. Menchaca de ſucceſſ. creat. lib. 2 §. 20. num. 29. Perez lib. 5. ordinis tit. 2. l. 1. fol. 67. verſ. ſed quæſtione propoſita. Burſattus conſ. 52. num. penult. & ult. vol. Lælius Zecchius de Republ. eccleſiaſtica tit. de regular. cap. 3. num. 14. in ampliatione 19. Velaſcus de partitionibus c. 16. num. 17. Craſſus de ſucceſſ. ab inteſtato §. teſtamentum q. 34. num. 3. Gutier. q. canonicis lib. 2. c. 1. à nu. 9. uſque ad 16. Cevallos in ſuis communibus opinionibus q. 121. à n. 2. Spino ſpeculo teſtament. gloſſa 6. rubrica nu. 3. Humada l. 7. tit. 7. p. 1. gloſſa 3. nu. 3. Manuel quæſt. regul. tom. 3. qu. 16. art. 2. & q. 69. art. 11.

29 Ampliant autem hanc ſententiam aliqui ex ejus ſectatoribus, ut ſit vera, ſive prius teſtamentum ſit conditum inter liberos, ſive inter extraneos. Sic Bartol. ea. authent. ſi

qua mulier num. 8. & ibi Roſel. & ibi Paulus nu. 4. ſubdens non irritari omninò teſtamentum inter liberos confectum abſque cogitatione ingreſſus, ſed liberis dandam legitimam reſiduumque fore monaſterii, quamvis Jaſon ea authent. ſi qua mulier nu. 25. dicat abſolutè in hoc eventu teſtamentum non revocari.

30 Secundò ampliant aliqui, ut non rumpatur teſtamentum, quando de ingreſſu cogitatum eſt, etſi nil prorſus ſit relictum monaſterio: quia monaſterium non habetur loco filii, ut neceſſariò inſtituendum ſit, & nulla contraria priori voluntas præſumitur. Sic tradunt Bartol. Imola, Vergnia, Guillelmus Benedict. Covarr. ea. c. 2. num. 5. de teſtamen. Gutier. n. 10. Cevallus, Manuel allegati nu. præcedenti. Quare optimè ait Paulus d. authent. ſi qua mulier nu. 4. monaſterium nihil habiturum; quamvis idem Paulus authent. niſi rogati num. 5. C. ad Trebellian. & authen. nunc autem num. 1. C. de Epiſcopis, & clericis, & Lælius Zecchius relatus num. præced. dicant, etſi tunc non rumpatur teſtamentum, habiturum tamen monaſterium ſuam legitimam.

31 Rurſus eſt difficultas inter hos Doctores, an quando revocatur, ſeu rumpitur teſtamentum profeſſione religionis eo quod non cogitando de illa conditum ſit, rumpatur in totum, an ſolùm quoad legitimam monaſterio competentem? Affirmant aliqui quoad eam ſolam legitimam rumpi, manens firmum quoad reliqua: quia quoad illam ſolam præſumitur contraria voluntas. Sic tradunt Covar. c. 2. num. 5. de teſtamentis. Manuel quæſt. regular. tom. 3. quæſt. 16. art. 2. Gutier. qq. canonic. lib. 2. cap. 1. num. 17. Alvaradus, Humada citati ſuprà. Hanc autem legitimam explicant Manuel, & Humada in regno Caſtellæ quintam bonorum partem, ſi habeat deſcendentes. Quibus addo eſſe tertiam, ſi ſolos aſcendentes habeat; quod ſi careat utriſque, eſſe omnia bona, juxta dicenda infrà, dum ſermo erit de obligatione teſtandi inter liberos. Verùm alii dicunt (& melius) in hoc eventu irritari teſtamentum in totum, quando hæres extraneus, inſtitutus erat: & ſic inſtitutum nihil habiturum, ſed omnia bona pervenire ad monaſterium, quia contraria voluntas in hoc dubio præſumitur priori voluntati, & nulla eſt ratio, cur quoad hanc partem, & non quoad totum ea præſumatur. Sic tenent Paulus authen. ſi qua mulier numero 4. C. de ſacroſanct. Eccleſ. & ibi Jacobus Butrigarius qu. 6.

32 Tandem ex intervallo temporis à die teſtamenti conditi uſque ad ingreſſum in novitiatum, deducitur præſumptio, an præmiſſa ingreſſus cogitatione conditum ſit, necne: ſi enim longa mora interceſſerit, præſumitur non præmiſſa ingreſſus cogitatio; ſecus ſi modica. Ita docent Bald. authent. ſi qua mulier num. 12. Jaſon num. 22. Paulus num. 4. Guillelmus Benedict. cap. Raynutius, verb. in eodem teſtamento relinquens el 2. num. 24. de teſtam. Covar. c. 2. num. 5. de teſtament. Montalvus Gutier. num. 19. Alvaradus, Craſſus numero 4. Lælius Zecchius ubi eos retuli num. 28. Manuel quæſt. regular. tomo 3. quæſt. 69. art. 11. Quanta autem ſit longa mora, & quanta modica ad hanc præſumptionem capiendam, Judicis arbitrio attentis aliis circumſtantiis relinquitur, ut benè docent Covarr. Gutier. Alvarad. Manuel, & Craſſus ibidem.

33 Atque in foro ſaltem conſcientiæ ſtandum eſt confeſſioni jurejurando firmatæ ipſius profeſſi, intenderit ne revocare vetus teſtamentum, an non, ut docent Imola tomo 1. de juſtitia diſp. 139. in fin. & Manuel quæſt. regular. tom. 3. quæſt. 10. art. 2. Cæterùm ſi de ſolo conſcientiæ foro rogatur non eſt opus eo juramento, ſed ſimplici ejus aſſertioni credendum eſt; ſi autem de foro externo, opus eſſet juramento, & fides eſſet habenda, cum ſit intentio intrinſecus latens, niſi eæ eſſent conjecturæ, ut oppoſitum ſuaderent. Quia non ſtantibus prædictis conjecturis, ſolo juramento probantur intrinſecus latentia, ut probavimus lib. 3. de matrimonio diſp. 15. num. 8. & 12.

34 Ultima ſententia, cui tamquam multò veriori adhæreo, ait, teſtamentum illud firmum omninò manere, ſive tempore teſtamenti cogitatum ſit de ingreſſu, ſive non. Ducor, quod omnes ſententiæ contrariæ triplici ex capite contendunt id teſtamentum revocari; alii quaſi ex agnatione poſthumi; alii ex capitis minutione: alii ex contraria voluntate præſumpta, ut conſtat ex dictis: at nullum ex his probat hanc revocationem. Et primò quidem eam non probat agnatio poſthumi, quia multo veriùs eſt, monaſterium nequaquam loco filii haberi, ut probabimus infrà, & eſto loco filii haberetur, id tamen fatentur omnes in ſolis caſibus jure expreſſis procedere: at nullibi in jure exprimitur monaſterium loco filii reputari ad rumpendum, ſeu revocandum prius teſtamentum. Non rumpi autem ex capitis minutione ex eo probatur: quia falſum eſt, profeſſionem eſſe capitis minutionem, ut optimè probat Cujacius in expoſitione novellæ 5. quia non omnis ſtatus mutatio eſt capitis diminutio, ut manumiſſio, ſenatus motio; quamvis enim Monachus ſtatum mutet, libertatemque amittat, at mutat in melius, nec ſervus efficitur, ſed Deo per obedientiam voto ſpontaneo promiſſam ſe dedicans, privat ſe ſua libertate. Non revocari autem contraria voluntate ex eo probatur, quia contraria voluntas ex eo ſolo præſumitur, quod profitens in religione dedicat tacitè omnia bona ſua illi: at hujuſmodi dedicatio ſolùm habet locum, quando teſtatus non fuerat, authent. nunc autem C. de Epiſcop. & cler. ibi; ſi prius teſtatus non fuit. Qui textus, atque alia jura de hoc loquentia non diſtinguunt, an tempore teſtamenti cogitatum ſit de ingreſſu religionis. Rurſus, quia tacita hæreditatis ademptio numquam præſumitur, ubi poteſt alia conjectura capi l. final. ff. de his, quæ in teſtamento delen. at in hoc caſu poteſt ſumi alia conjectura, nempè, profeſſum non denuò de ſuis bonis diſpoſuiſſe, quia jam de illis diſpoſuerat: ergo non eſt capienda conjectura hæreditatis ademptæ. Tandem quia, quamvis hæ ceſſarent, & ingrediens cenſeretur voluntatem contrariam priori teſtamento demonſtrare, non ſufficit contraria voluntas etiam expreſſa ad prioris teſtamenti revocationem, ſed opus eſt alia diſpoſitione contraria §. ex eo autem ſolo ineſt; quibus modis teſtam. infirm. & l. ſancimus C. de teſtament. Secundò probatur hæc ſententia, quod jura omnia concedant liberam teſtandi facultatem ante religionis ingreſſum, authent. nunc autem C. de Epiſcop. & clericis, & §. illud, authent. de monachis at fruſtra eſſet ea licentia, ſi profeſſione religionis id teſtamentum rumperetur, at revocatum cenſeretur. Denique, quia rationes contrariæ intentum ſuum non probant: nam ad rationes primæ, & tertiæ ſententiæ ſatis ex dictis conſtat. Ad rationes autem ſecundæ facilè reſpondetur, ſatis eſſe teſtatorem fuiſſe teſtandi capacem tempore confecti teſtamenti, & mortis civilis per profeſſionem, quia jura concedentia libertatem teſtandi ante profeſſionem, & poſtea eam negantia, volunt in conſequentiam illud valere, etſi teſtator incapax ſit poſt profeſſionem tempore mortis naturalis teſtandi. Et ideo hanc ſententiam ſuſtinent Speculator tit. de ſtatu monachorum, §. unic. num. 55. quæſt. 49. & Baldus in fin. tit. in additione verſ. nunc de teſtamentis ingredientium. Antonius in præſentia num. 32. de probationib. ibi Abbas nu. 52. Pariſ. n. 192. Berous num. 519. Additionator ad Decium in nova editione 242. verb. non videtur Mantica num. 63. & 64. Francus rubr. de teſtament. in 6. num. 69. Aretinus l. 3. num. 4. & 5. ff. de teſtament. Alciatus rubr. ff. de liberis, & poſthumis num. 48. Viglius inſtit. quibus modis teſtamentum infirmetur, in princ. num. 3. Loriotus de juris arte tract. 12. de injuſt. rupto, axiomate 16. Angelus verb. religioſus num. 54. Sylveſter verb. religio 6. q. 1. dicto 3. Tabiena verb. religio quæſt. 35. num. 36. & ibi Armilla n. 23. Greg. Lop. l. 20. in fine, tit. 1. part. 6. Navar. comment. 2. nu. 51. de regular. Sarmient. lib. 8. ſelectar. ſuper §. is, cui in tempus, num. ultim. Julius Clarus lib. 3. receptarum. §. teſtament. q. 28. n. 4. & 5. Molina lib. 2. de primogeniis c. 9. num. 44. Caldas de nominatione emphyteutica q. 6. num. 10. & 16. Mattheatius de legatis, ac fideicommiſſ. lib. 2. c. 1. num. 25. Viglius inſtit. quib. modis, teſtamentum infirmetur in princ. num. 3. Angulo de melioram l. 1. gloſſ. 3. num. 20. Boetius Epono c. 2. num. 14. de teſtament. Benedictus Ægidius l. 1. verſ. 4. §. 2. num. 4. C. de ſacroſanct. Eccleſ. Tapia auth. ingreſſi, verb. ideoque, nec de his c. 1. num. 65. Fachin. in controverſiis juris, lib. 6. c. 14. verſ. poſtrema igitur. Azor. tom. 1. inſtit. moral. lib. 12. c. 2. q. ultim. & c. 6. q. 5. Molina Theologus tom. 1. de juſtit. diſp. 139. dub. ultimo. Quod idem videntur tenere alii, qui abſolutè tradunt, id teſtamentum profeſſione non irritari, hi ſunt Emmanuel Sà ſumma, verb. teſtamentum nu. 38. Vega 2. tom. ſummæ c. 50. caſu 3. Manuel 2. tomo ſummæ c. 7. nu. 8.

35 Quæ quidem ſententia vera eſt, quamvis in eo teſtamento nihil relictum ſit monaſterio; cum enim non habeatur loco filii, nulla ratio cogit, ut opus ſit illi aliquid relinquere, ne teſtamentum rumpatur. Atque ita docent Imola l. 1. nu. 12. ff. de teſtament. Jacobus de Arena authent. ſi qua mulier num. 2. C. de ſacroſanct. Eccleſ. & ibi Albericus à nu. 1. uſque ad 4. Felin. c. in præſentia nu. 54. de probat. & ibi Mantua nu. 63. Julius Clarus nu. 5. & Mattheatius nu. præced. allegati, Avendanus junior l. 4. Tauri gloſſ. 4. n. 24.

36 Quare non approbo quod docet Antonius d. c. in præſentia nu. 32. Armilla verb. religio nu. 23. ubi docent monaſterium habiturum ſuam portionem, quamvis non rumpatur teſtamentum: hoc enim non eſt verùm, quia tamquam ſpeciale diſponitur d. authen. ſi qua mulier, ut quando profeſſus antea non fuerat teſtatus, poſſit inter liberos teſtari, relicta monaſterio ſua portione legitima; ergo ſecus, quando ante profeſſionem diſpoſuerat. Et ſic docent Abbas, Angelus, Sylveſt. Tabiena allegati nu. 34. Molina lib. 2. de primog. c. 9. nu. 4. Tapia Auth. ingreſſi, verb. ideoque nec de his c. 1. nu. 70. C. de ſacroſanct. Eccleſ.

37 Limitat autem hanc ſententiam Greg. Lop. l. 29. in fin. tit. 1. p. 6. niſi tantum temporis tranſierit à die conditi teſtamenti uſque ad religionis ingreſſum, ut eſſet præſumptio oblivionis teſtamenti prius facti: tunc enim revocaretur teſtamentum. Verùm hanc limitationem non approbo, ſed adhuc monaſterium nihil habiturum cenſeo, quod non præſumatur revocata contraria voluntas.

38 Secundo limitatur hæc ſententia, niſi hic teſtator poſtea, quando monaſterium eſt ingreſſus, contulerit ei omnia bona; tunc enim cenſebitur primum teſtamentum revocatum: ſicut ſi omnia bona ſua expreſsè alteri donaſſet, aut alteri alienaſſet. Sic docent Anton. quamvis aliquantulum titubans Abbas n. 51. Francus, Angelus, Tabiena, Sylv. Armilla, Gregorius Lopez, Julius Clarus, Tapia num. 70. Caldas num. 18. ubi eos retuli num. 34. Molina lib. 2. de primogeniis c. 9. num. 45. Benedictus Ægidius l. 1. par. 4. §. 2. num. 4. C. de ſacroſanctis Eccleſ. Aretinus l. 1. nu. 5. ff. de teſtament. Manuel q. regular. tom. 3. q. 16. art. 2. Molina Societ. Jeſu tom. 1. de juſt. diſp. 139. in fine, Azor. tom. 1. inſtit. moral. lib. 12. c. 6. q. 5. Atque

in hoc caſu non ſolùm revocatur teſtamentum quo ad hæredis inſtitutionem, ſed etiam quo ad legata (non enim monaſterium habetur loco filii;) ſed expreſſa bonorum donatione, conſequens eſt, ut in hac ſpecie non ſit ſervanda diſpoſitio *authent. ex cauſa C. de liberis præteritis*, ſed quo ad omnia cenſendum eſt teſtamentum revocari. Sic *Molina eo, c. 9. num.48. & Molina Societatis Jeſu ead. diſput.139. in fine*. Quare minus benè *Julius Clarus lib. 3. receptarum. §. teſtament. q.28. num.4. verſ. ſed retenta in fin.* ait, id teſtamentum revocari quo ad ſolam inſtitutionem, legatis, & cæteris in eo contentis manentibus firmis. Hæc tamen limitatio ſublimitanda eſt, ut intelligatur, quando ea bonorum donatio facta eſſet ex intervallo poſt teſtamentum conditum, quippe ſi incontinenti poſt illud donatio fieret, non cenſeretur illius revocatio, ne donans incontinenti videretur corrigere ſe ipſum, contra *l. non ad ea ff. de conditionibus, & demonſtrationibus*. Nec obſtat hanc voluntatem eſſe priori contrariam, quia non eſt clara, cùm potuerit per illam donationem velle transferre bona in monaſterium uſque ad finem vitæ ipſius donantis: & ita interpretanda eſt; mortuo autem donante ſervabuntur diſpoſita in teſtamento. Atque ita docent *Antonius, Abbas, Aretinus, Angelus, Sylveſter, Armilla, Tabiena* proximè allegati; & hæc limitatio cum ſua ſublimitatione eſt veriſſima, quamvis non deſint contradicentes, ut referemus *nu. ſeq.* An verò hæc correcta ſint per Tridentinum, explicabitur infrà.

39 Quamvis autem limitatio prædicta ſit veriſſima, non deſunt contradictores: nam *Berous c. in præſentia, num. 518. de probat.* adverſus illam inſurgit, dicens eſſe multum dubiam, quia *authent. de monachis, §. nunc autem*, tunc dicitur oblationem bonorum factam ab ingrediente religionem, ſortiri effectum, quando prius non fuit teſtamentum; ſi enim fuerit teſtamentum, id eſt ſervandum, nec oblatio aliquid operatur, nec ibi diſtinguitur, an ex intervallo, an incontinenti poſt teſtamentum fuerit oblatio. Et quamvis ſermo ibi ſit de oblatione tacita, quæ fit in conſequentiam ipſius ingreſſus: at idem eſt in expreſſa; tum quia taciti, & expreſſi idem eſt judicium, *l. cùm quid, ff. ſi certum petatur*; tum etiam, quia expreſſio eorum, quæ tacitè inſunt, nihil operatur, *l.3. ff. de legatis*. Præterea, quia contraria voluntas expreſſa ex quocumque intervallo non ſatis eſt ad revocandum prius teſtamentum, niſi alio teſtamento ſolemni illa fuerit ſtabilita, *§. poſteriori, inſtit. quibus modis teſtamentum infirmetur*. Et tandem relinquit cogitandum, & ait, in praxi durum eſſe à dicta limitatione communiter approbata recedere. Sed hæc non obſtant: non primum, quia ſæpè plus nocet expreſſum, quam tacitum, & aliquid operatur, quando exprimitur alio modo, quam tacitè inerat in conſequentiam perſonæ, quando aliter non diſpoſuerat ingrediens; exprimitur autem ad revocationem prioris diſpoſitionis. Nec obſtat etiam ſecundum, quia etſi ſola contraria voluntas non ſufficiat ad revocandum prius teſtamentum, ſufficit tamen conjuncta cum alienatione bonorum. Inſuper contra prædictam limitationem tenet *Joannes Andr. addition. ad Speculatorem tit. de ſtatu monach.* ut enim refert *Aretinus* ſtatim allegandus, ubi refert *Martinum* diſputaſſe, & hoc ipſe ſequitur, nempè, ut donatio expreſſa facta monaſterio ea intervallo poſt teſtamentum conditum non illud revocet, ſed id permaneat, hæreditaſque adeunda ſit ex illo: at bona competentia monacho tempore ingreſſus pertinebunt ad monaſterium, non autem jura, quæ debebantur ingreſſo ſub conditione impleta poſt ejus mortem, ſed illa pertinebunt ad hæredem teſtamentarium. Sed meritò hanc ſententiam reprobat *Aretinus l.1.n.5. ff. de teſtamentis*, docetque ſtandum limitationi communi poſitæ *nu.*38.

40 Sed quid dicendum de donatione cauſa mortis facta extraneo ante religionis ingreſſum, an revocetur per profeſſionem? *Suarez allegati 20. num. 21.* ait, quamvis ſit dubium de teſtamento antea facto, an revocetur necne, id tamen dubium non poſſe eſſe de hac donatione. Ratio enim, ob quam non revocatur teſtamentum, eſt, quia ad ejus revocationem non ſufficit contraria voluntas, nec tacita alienatio: at donatio cauſa mortis, ſicut eſt legatum, revocatur tacita voluntate, & hac tacita alienatione. Cum ergo faciens profeſſionem dedicet eo ipſo omnia ſua bona religioni, cenſebitur revocaſſe priorem donationem cauſa mortis factam. Sed exiſtimo minimè revocari, ſive tempore donationis cogitatum ſit de ingreſſu religionis, ſive non eo modo, quo diximus *nu.*34. de teſtamento; & Doctores ibi citati abſque dubio idem dicerent de hac donatione, quia ea ſententia non ſoli ei rationi innititur, quod teſtamentum non poſſit mutari ſola contraria voluntate: ſed potiſſima ratio eſt, ut diximus *nu.* 34. quia tacita bonorum dedicatio per profeſſionem religionis ſolum inducitur quando profitens non diſpoſuerat antea de bonis. Cùm ergo diſpoſuerat per donationem cauſa mortis, non inducitur ea tacita dedicatio, ſicut nec inducitur, quando diſpoſuerat per teſtamentum: nulla eſt ergo contraria voluntas, per quam prior illa contraria donatio cauſa mortis revocari cenſeatur. Adde legata revocari quoque tacita contraria voluntate, & tamen non revocatur per hanc profeſſionem religionis, ſed quo ad illam etiam ſuſtinetur prius teſtamentum, ut diximus *nu.*38. Tandem quia majoratus inſtitutus quocumque contractu revocabili non irritatur ſequuta profeſſione, ut dicemus *nu.* 49. Ergo id non eſt ſpeciale in teſtamento.

41 Si autem donatio facta ſit inter vivos, nullatenus revocatur profeſſione religionis, tum quia monaſterium non habetur loco filii: tum etiam quia, eſto loco filii haberetur eſt filius fictus; at *l. ſi unquam. C. de revocandis donationibus* diſponens, ut nativitate filiorum revocetur donatio priùs facta, procedit in veris filiis. Atque ita docent multi quos refert, & ſequitur *Tiraquel. ea l. ſi umquam, verſ. ſuſceperit liberos, in nova editione num.* 43. *Felin. c. in præſentia nu.* 42. *de probat. Gregorius Lopez l. 8. tit. 4. par. 5. gloſſ. 7. paulò poſt principium Molina lib. 2. de primogen. c. 9. nu. 51. Angulos de melioratu, l. 1. gloſſ. 3. num.*20. Et quamvis aliqui, quos refert ibi *Tiraquellus num.* 48. dicant ex alio capite revocaturum monaſterium uſque ad legitimam, & ipſe nil definiat, meliùs tamen alii per ipſum allegati id negant, & conſtat ex dictis *numero* 36. Cùm enim monaſterium non habeatur loco filii, nulla ipſi debetur legitima, niſi in caſu ſpeciali, quando poſt profeſſionem inter liberos teſtatur. Quare *Angulo eo num.* 20. docet optimè meliorationem factam filio in quinto bonorum non revocari per profeſſionem, ſive cogitaverit, ſive non de ingreſſu tempore donationis.

42 Sed adhuc ſupereſt difficultas de ſubſtitutione pupillari facta in eo teſtamento, an eo ipſo quod pater profitetur, evaneſcat? & quidem ſi profeſſio fiat in ordine incapaci, ut in ordine Minimorum, exiſtente adhuc filio impubere, valeret ex tunc ſubſtitutio pupillaris, quamvis vivo naturaliter patre decederet filius impubes, quia ea profeſſio habet omnes mortis naturalis effectus. Sic *Acoſta c. ſi pater, 2. p. verb. teſtatore mortuo nu.*6.

43 Sed difficultas peculiaris conſiſtit, quando pater poſt ſubſtitutionem pupillarem profeſſus eſt in religione capaci ſuccedendi, an ex tunc evaneſcat ſubſtitutio pupillaris, ita ut quamvis filius poſtea intra ætatem pupillarem obeat, non ſuccedat ſubſtitutus, quaſi ſubſtitutio illa effecta fuerit prorſus irrita? *Anch. c. ſi pater num.4. notab. 8. verſ. interdum & mors de teſtamentis nu.*6. ait, ſi rumpatur id patris teſtamentum, eo quod nihil reliquerit monaſterio, rumpi quoque ſubſtitutionem pupillarem tamquam ejus partem, ſecus ſi illud non rumpatur, quia reliquit monaſterio. Sed *Florianus*, quem refert & ſequitur ibi *Francus num.8. verſ. ſed quid ſi decedat*, ait, valere ſubſtitutionem pupillarem quamvis rumpatur teſtamentum, quia ubi ex cauſa præteritionis teſtamentum ab initio nullum eſt, vel rumpitur, ſuſtinentur pupillares ſubſtitutiones, argumento *authent. ex cauſa C. de liberis præteritis*, & notatur *l. 1. §. fin. ff. de vulgari*.

44 Sed jure optimo *Acoſta eo c. ſi pater 2. p. verb. teſtatore mortuo num. 10. & duplici ſeq.* cujus doctrinam commendat appellans pulchram *Covar. c. 2. num.8. ad fin. in novæ edit. de teſtament.* ait, erraſſe penitus hos Doctores, & dicendum eſſe, pupillarem illam ſubſtitutionem omnino evaneſcere à die profeſſionis, quamvis teſtamentum principale patris ſit legitimum, nec rumpatur profeſſione, & hoc quidem, ſive filius impubes decedat vivo patre profeſſo, ſive etiam poſt mortem patris profeſſi adhuc in pubertate manens. Ratio eſt, quia indubitati juris eſt, patre filiis impuberibus ſubſtituente, & poſtea mortis tempore ejuſdem liberos in poteſtate non habente, evaneſcere ſubſtitutionem pupillarem *l. cohæredi, §. cum filia, ff. de vulgar. l. quod ſi filius num.*11. ibi; ſive quoniam non reverſo eo exinde ſui juris videtur fuiſſe *ff. de captivis, & poſtlimin. reverſ.* ubi *Gloſſa verb. exinde*, ait, & ſic non eſſet in poteſtate patris tempore mortis patris, quod eſt neceſſe, ut teneat pupillaris ſubſtitutio. At pater profeſſus deſinit filios habere in ſua poteſtate, ut probavimus *lib.4. hujus operis c.35. num.*44. Cùm ergo teſtamentum in religione non confirmetur ſola profeſſione, ſed morte naturali, ut contenta in eo effectum ſortiantur ita ut, ſi inſtitutus ante mortem naturalem profeſſi moriatur, ceſſet inſtitutio hæreditatis; atque tempore mortis à die profeſſionis jam pater ille non habeat filios, in poteſtate, ceſſabit valor illius pupillaris ſubſtitutionis.

45 Sed urgentior difficultas eſt, quam à nemine tactam inveni, ſi pater ille in ſuo teſtamento diſpoſuiſſet, ut à die profeſſionis vim haberent omnia contenta in ſuo teſtamento, an maneret valida ea pupillaris ſubſtitutio, ita ut filio poſtea intra ætatem pupillarem decedenti ſuccedat ſubſtitutus, ſicut confirmaretur patre profeſſo in religione incapaci? Et videtur pars affirmans, quia tunc teſtamentum profeſſione confirmatur; ſicut morte naturali, ut contingit in religione ſuccedendi incapaci. Sed exiſtimo adhuc evaneſcere ſubſtitutionem pupillarem, quia adhuc profeſſio illa non reputatur mors naturalis ex juris diſpoſitione, nec omnes mortis naturalis effectus habet. Unde cum jure ſtatutum ſit, ut pupillaris ſubſtitutio vim habeat ſola morte naturali patris retinentis filios in ſua poteſtate, non videtur illa diſpoſitio vim habere in hoc caſu; atque ita ſuccedet in ea pupuilli bona is, qui ea ſubſtitutione non facta ſucceſſurus erat, cum ea ſubſtitutio penitus caſſata ſit.

46 Sed adhuc difficultas ſupereſt de ſubſtitutione pupillari facta ab eo, qui poſtea emittit vota biennii, aut vota coadjutorum formatorum in Societate JESU. Et quidem eam ſubſtitutionem pupillarem confirmari profeſſione trium, aut quatuor votorum in Societate JESU, perinde ac morte naturali, nemini dubium eſt, quia tum religioſus ille; tum etiam religio eſt ſuccedendi incapax, ac proinde profeſſio illa habet omnes effectus mortis naturalis, ut diximus *nu.* 42. Atque idem dicendum eſt de votis coadjutorum formatorum in eadem Societate emiſſis, quia quamvis ea ſimplicia ſint, reddunt voventem incapacem ſuccedendi; atque ita religio quoque incapax eſt.

47 Si tamen hi à religione expellerentur, cum maneant omninò liberi ab obligatione votorum, & ſic capaces ſuccedendi, non parum dubium eſt, an tunc adhuc filio exiſtente intra ætatem pupillarem, ea ſubſtitutio pupillaris, quæ iis votis confirmata erat, redeat ad priſtinum ſtatum, quem habebat ante hæc parentis vota, & ita ſi vivo naturaliter patre decedat impubes, non ſit habiturus bona ſubſtitutus pupillariter, ſed ipſi parentes; & ſi is pupillus moriatur ante hunc egreſſum, ſubſtitutus, qui tunc ſucceſſit, teneatur ea bona patri reddere. Et quidem in priori caſu, nempè, quando poſt egreſſum moritur vivo patre pupillus exiſtimo non ſubſtitutum, ſed parentes ſucceſſuros, quia in his ſucceſſionibus conſideratur capacitas tempore delatæ ſucceſſionis, quod eſt, quando pupillus, cui eſt ſuccedendum, moritur: at tunc, cùm jam pater non reputetur mortuus, & ſit ſuccedendi capax, cenſebitur, ac ſi vivo patre obiret pupillus, in quo eventu expirat pupillaris ſubſtitutio; ſicut in ſimili dicemus infrà: quamvis monacho profitente in religione incapaci, nullum ſuperſit eis jus in parentum hæreditatem, ſed ſuccedant alii hæredes, perinde ac ſi hic eſſet mortuus: at eo tranſlato ad religionem capacem ante parentum obitum, reviviſcere quo ad ſuccedendi effectum, & nomine ipſius ſucceſſurum monaſterium capax in ea bona. In poſteriori autem caſu, nimirum quando pupillus moritur ante hunc egreſſum, dicendum eſt eodem modo, quo dijudicamus de monacho Franciſcano tranſlato legitimè ad religionem capacem reſpectu hæreditatis parentum, qui ante ipſius tranſitum obiere, cum hic quoque tranſeat ſimiliter à ſtatu omninò incapaci ſuccedendi ad ſtatum capacem ſuccedendi in ommuni. Sicut ergo hic non ſuccedet in hæreditatem jam aditam ab hærede, qui ſucceſſerat, ſecundùm omnes, & ſecundum veriorem opinionem, nec in jam delatam, & nondum aditam, ita hic religioſus Societatis JESU effectus jam ſæcularis non ſuccedet in eam hæreditatem, quæ morte pupilli delata eſt hæredi ſubſtituto, ſive ab illo jam adita ſit, ſive tantùm ſit illi delata. Atque idem dicendum eſt de hærede inſtituto ab hoc coadjutore formato in teſtamento per ipſum confecto, antequam iis votis ſe ligaret: hic enim non tenebitur poſt hunc egreſſum reſtituere huic hæreditatem, nec legatarius legata, ſive ei tantùm delata ſint, ſive etiam adita: quia cùm iis votis ſit omninò id teſtamentum confirmatum, ſicut morte naturali, ut dicemus *nu.*68. egreſſus ille nequit nocere, re non exiſtente integra, ſed jure jam acquiſito hæredi, & legatariis, ſicut nec tranſitus Franciſcani ad ſtatum capacem eis nocet.

48 Hinc deducitur quid dicendum ſit de ſubſtitutione pupillari facta per Fratrem Franciſcanum ante profeſſionem, qui poſtea vivo pupillo tranſiit legitimè ad religionem ſuccedendi capacem, & eo profeſſo in hac poſteriori vivente adhuc, vel jam mortuo obiit pupillus in ætate impubertatis. Dixi, profeſſo in poſteriori, quia ſi adhuc eſſet in illa novitius, non dubium eſt, quin ſtatim moriente pupillo ſortitur effectum ſubſtitutio pupillaris, & ſuccedat ſubſtitutus, quia, cum adhuc ligatus ſit profeſſione emiſſa in religione incapaci, reputatur adhuc tamquam mortuus naturaliter; & ſic habebit effectum ſubſtitutio. Quando autem eo profeſſo in poſteriori, videtur dicendum, quod ſicut ea mors civilis per profeſſionem in illa priori religione non eſt perpetua, ſed revocabilis quo ad capacitatem ſuccedendi, ſimiliter nec valor ſucceſſionis pupillaris erit perpetuus & irrevocabilis ante jus acquiſitum ſubſtituto pupillariter, quod nondum acquiſitum eſt, cum jus pendeat à pupilli morte, & tempore hujus mortis jam pater erat profeſſus in religione capaci, & ſic non reputatur naturaliter mortuus, ac corruet proinde talis ſubſtitutio, ſicut diximus corruere *nu.*44. ſtatim ac pater profitetur in religione capaci ſuccedendi. Quod ſi transferretur ad Epiſcopatum, & eo ſic tranſlato obiret, credo ſimpliciter corruere ſubſtitutionem pupillarem, quia jam pater translatus eſt ad ſtatum ſuccedendi capacem, nondum ſubſtituto acquiſito jure, & ſic non reputatur ac mortuus, & cum non deſinat eſſe profeſſus, non redit patria poteſtas, & ſic evaneſcet ſubſtitutio pupillaris.

49 Non tamen idem dicendum eſt, ſi profeſſi ordinis Minorum, aut Societatis JESU ejicerentur à religione; cùm enim non ſint liberi à rigida paupertate ſolemniter promiſſa in ea religione, ſunt adhuc omnis ſucceſſionis incapaces ac proinde quaſi naturaliter mortui; & ideo eodem modo judicandum eſt de illa ſubſtitutione pupillari, ac ſi adhuc perſeverarent in religione, diximus judicandum *nu.* 42.

50 Sed quid de iis, qui vota biennii in Societate JESU emiſere, & antea in teſtamento fecerant ſubſtitutiooem pupillarem filio impuberi? Qua in re cenſeo per ea vota extingui ſubſtitutionem pupillarem, ſicut diximus *nu.* 44. extingui per profeſſionem in religione capaci, quia, cum per hæc vota fiant veri religioſi, & tranſeant in ſui Prælati poteſtatem, perinde ac alii religioſi per vota ſolemnia deſinunt quoque habere filios in poteſtate; hæc enim (ut diximus *n.*44. eſt ratio, cur per profeſſionem extinguatur patria poteſtas: extinguetur ergo quoque ſubſtitutio pupillaris, utpotè quæ ad ſui valorem petit pupillum eſſe ſub poteſtate patris tempore teſtamenti conditi, & tempore mortis parentis. Si tamen his è Societate expulſis, & poſt expulſionem mortuis, nec revocato teſtamento obiret pupillus, haberet vim ſubſtitutio pupillaris. Quia tempore mortis patris erat jam ſub patris poteſtate, & ſimiliter fuit tempore conditi teſtamenti. Atque ſicut ſtatus per ea vota aſſumptus eſt revocabilis per egreſſum è Societate, quo manent ii liberi prorſus à votis, ita effectus, quia eſt amiſſio illius patriæ poteſtatis, erit quoque revocabilis, & ceſſante eo ſtatu recuperabitur patria poteſtas, & effectus illius, ſicut docet *Rebellus tractatu de juſtitia, p.2. lib.1. q. 8. ſect. 6. nu.*63. & 64. patre novitio in religione ceſſare ad tempus patriam poteſtatem; at eam redire egreſſo illo.

51 Sed quid dicendum de profeſſis in ordine militari, qui matrimonium ducunt, & proprium habent, ut ſunt Commendatarii Alcantaræ, Calatravæ, Divi Jacobi, an per hanc profeſſionem ceſſet ſubſtitutio illa pupillaris? Et credo non ceſſare; quia optimè probat *Velaſcus conſ.* 108. *à nu.*23. *uſque ad* 31. *volum.* 2. filium emittentem hujuſmodi profeſſionem non eximi à patria poteſtate, & conſequenter idem dicendum erit per hujuſmodi profeſſionem à parente emiſſam.

52 Ultimo dicendum eſt, quid è contra ſi pater ſubſtituit filio pupillariter, & is impubes mortuo patre profeſſus eſt ex diſpenſatione Pontificia in religione? Qua in re ſic diſtinguendum eſt: ſi profiteatur in religione incapaci ſuccedendi, ſubſtitutio illa ſortitur ſtatim omninò effectum, ac ſuccedet ſubſtitutus. Quia cum ea profeſſio habeat vim mortis naturalis, & facta ſit manente ætate impuberi, cenſetur hic quaſi mortuus ante pubertatem. Atque ita docent *Imola c. in pupillari nu.4. ff. de vulgari, Guillelmus Benedictus c. Raynutius, verb. ſi abſque liberis el* 2. ubi de pupillari ſubſtitutione *num.* 113. *de teſtamentis, Acoſta c. ſi pater 2. par. verb. defuncti ante temp. pubertatis, num.* 5. Si autem profiteretur in religione capaci ſuccedendi, ait *Guillelmus Benedictus eo nu.* 113. expirare ſtatim ſubſtitutionem pupillarem, & ſuccedere monaſterium, quamvis intra ætatem pupillarem obiret. Ducitur quia ſubſtitutio pupillaris expirat nato libero intra eam ætatem, malitia ſupplente defectum ætatis ad concipiendum, ut conſtat ex *l. ex facto in princ. ff. de vulgari*, & probat *ibi n.*114. ex multis; ergo ſimiliter expirabit ea profeſſione, cum monaſterium habeatur loco filii. At credo non expirare, ſed eam valituram decedente hoc profeſſo intra ætatem pupillarem; quia verum non eſt, monaſterium haberi loco filii, ut dicemus infrà. Et quamvis id verum eſſet, eſt in ſolis caſibus jure expreſſis, qualis non eſt hic. Si autem obiret factus jam pubes, conſtat à tempore pubertatis ceſſare ſubſtitutionem, & ſuccedere monaſtrium, ſicut ceſſaret ipſo manente in ſæculo. Quia illa profeſſio non reputatur mors naturalis. Quod ſi profeſſio illa fieret in ea ætate abſque diſpenſatione Pontificia, conſtat non expirare ſubſtitutionem, in quavis religione profeſſio fiat, quia cum ea profeſſio ſit prorſus irrita, nullum producit effectum; atque ita benè docet *Guillelmus Benedictus eodem num.* 114.

SUMMARIUM.

*An teſtamentum ante profeſſionem factum ſit à die profeſſionis exequendum, ita ut ex tunc hæres hæreditatem, & legatarius legata habituri ſint, quando conſtat expreſſè de voluntate teſtatoris? nu.*53.

*Quid in dubio hujus voluntatis, quando religio eſt ſuccedendi capax? nu.*54.

*An ſi hæres inſtitutus, aut legatarius prius obeant, quam ille profeſſus, caſſentur hæreditas, & legata, & pertineant ad monaſterium ſuccedendi capax, nu.*55.

*An hic hæres debeat habere hæreditatem etiam obvenientem illi profeſſo poſt profeſſionem? nu.*56. *&* 57.

*An dicendum ſit idem de donatione cauſa mortis ante profeſſionem facta? nu.*58.

*Quid de donatione facta inter vivos, etiamſi exequutio differretur in diem certum, aut in tempus mortis donantis? nu.*59.

*An ſit conjectura voluntatis, ut à die profeſſionis debeantur hæreditas, & legata, quando tempore novitiatus, vel cum cogitatione ingreſſus factum eſt teſtamentum, & an amplectenda ſit in dubio opinio, quæ religioni favet? nu.*60.

*An ſit conjectura hujus voluntatis, ſi teſtator relinquat monaſterio uſumfructum bonorum, vel rei alicujus particularis, & quanto tempore debeatur uſufructus ille, & an id tempus ſit numerandum à die profeſſionis? nu.*61.

*An ſit conjectura, ſi relinquerit legatum monaſterio, aut illum hæredem inſtituerit? nu.*62.

*An ſit conjectura, ſi teſtator dixerit velle ſe ante profeſſionem de rebus ſuis diſponere, ne poſt illam lites oriantur? nu.*63.

*An ſit conjectura, ſi teſtator mandaverit multa implere per hæredem ſtatim poſt profeſſionem? nu.*64.

*An ſit conjectura obſervantia diu poſtea ſubſequuta? nu.*65.

*Quid ſi aliàs legatum eſſet inane, ut ſi legata ſint commoditas, uſufructus, vel cenſus annuus, quæ profeſſus ille tempore ſuæ vitæ poſſidebat? nu.*66.

Quid